This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600036438U

E.76.
H. 29.
Fungi. Lindley, Vol: 271.

35.
W. Front
E. BIBL. RADCL. C. 3.
11.
K. 3
18
19119 e. 62
3

SYSTEMATIS MYCOLOGICI

VOLUMINIS III.

SECTIO POSTERIOR,

HYPHOMYCETES ET CONIOMYCETES CONTINENS.

SYSTEMA MYCOLOGICUM,

SISTENS

FUNGORUM

ORDINES, GENERA ET SPECIES,

HUC USQUE COGNITAS,

QUAS

AD NORMAM METHODI NATURALIS

DETERMINAVIT, DISPOSUIT ATQUE DESCRIPSIT

ELIAS FRIES,

PROFESSOR ACADEMIAE LUNDENSIS,
REG. ACAD. SCIENT. HOLMIENS., REG. ACAD. AGRICULT. HOLM., SOCIET. PHYSIOGR. LUND., SOC. SCIENT. ET LITER. ELEG. GOTHOBURG. ETC. — ACAD. LEOP. CAROL. NATUR. CURIOS., SOC. NATUR. CURIOS. BEROL., LIPSIENS., SOCIET. BOTAN. RATISB., SOC. SCIENT. ET AGR. LILLENS., LINNEAN. NORRMANN. ETC. ETC. MEMBRUM.

VOLUMEN III. ET ULTIMUM.

GRYPHISWALDAE,

SUMTIBUS ERNESTI MAURITII.

MDCCCXXXII.

CLASSIS TERTIA.

HYPHOMYCETES.

CHAR. Flocci sporidiiferi, nudi.

DESCRIPTIO. Systema vegetativum floccosum, proprium, libere evolutum, a matrice discretum. Metamorphosis ad sporangia (hymenium, nucleum, peridium) formanda nulla; in plerisque tamen flocci sporidiiferi proprii a mycelio diverso oriuntur. Sporidia primo gradu a floccis separantur, nunc externa, nunc interna apicibus vesiculosis recepta, mox vero denudata.

OBSERVATIONES. Absolutis *Phaneromycetibus*, qui metamorphosi perfecta systematis vegetativi fructum edunt, sequuntur *Cryptomycetes*, inter quos proprium systema vegetativum vel omnino deficit (*Coniomycetes**), vel primo gradu sporidia explicat (*Hyphomycetes*). Utpote altiori metamorphoseos gradu haud definiti et limitati, ipsi longe magis quam priores vagi et protei, ut longam experientiam ad status normales discernendos requirant. *Ad eos rite examinandos prorsus necessarium est microscopium compositum;* sed maxime cavendum est, ne fingas singulas formas sub microscopio differentes diversa sistere genera et species. *Microscopii solius usu externam eorum faciem tantum discimus***), minime vero

*) Exceptis *Tubercularinis*, qui tamen tam defectu floccorum sporidiiferorum, quam vegetatione innata ab Hyphomycetibus recedunt. Sistunt novae altioris sectionis typum, de quo plura suo loco.

**) Maxime urgeo microscopii compositi usum, sed ejus abusum simul impugno; nimia ejus fides ad exitium scientiae ducit,

eorum historiam, morphosin et anamorphosin perspicimus Multa modo consuetudine sub microscopio statum normalem et perfectum dignoscere valemus. *Tota morphoseos series perspecta sit, priusquam microscopio in his plantis describendis uti licet.* Quo neglecto haec classis tot peregrinis formis conspurcata est, tot ejus formae in Phycearum classe repetuntur, tam multae ejusdem speciei formae in diversis generibus citantur. Unico exemplo sit *Telephora sulphurea*, cujus mycelium in tredecim generibus receptum. Cfr. *El. Fung. I. p.* 159. et addas: *Rhizomorpham sulphuream* Rebent. et *Mesentericam luteam* Nees Syst. f. 238. B.

STATUS NORMALES inter has plantas nosse primarium est. Omnis fungorum genuinorum vegetatio primitus*) mucedinea est et floccosa, hinc omnes fere antecedentes ordines in statu primario ad hanc classem pertinere videntur. Quando locis cryptis et similibus fructus veri evolutio supprimitur, mycelium eo magis luxuriat. Dimidia pars fere Mucedinum, v. c. in Persoonii Myc. Eur., est mycelium perfectiorum fungorum. In Mycol. Theoret. indicabimus notas, e quibus hos pseudo-hyphomycetes ad suam classem referre liceat. Cfr. quoque observationes de generibus spuriis. — Sed etiam his exclusis dimidia pars obviorum individuorum, licet sub microscopio magnopere differant, non sunt normales et genuini Hyphomycetes, sed status non aut male explicati aliorum. His addendae quoque plu-

---

si nempe fingatur, ad quod tirones prompti sunt, singulam differentiam sub microscopio observatam constantem esse, nova genera indicare e. s. p. Metamorphosi rite perspecta plurima ejusmodi genera evanescunt, ut jam omnia genera microscopica Lichenum! Differentia sub micr. comp. magna appareus, re ipsa tamen perexigua esse potest; sub microscopio du-aut tricenties augente du-aut tricenties major, quam est, apparet, nec omnis differentia essentialis est.

*) Mycelium tamen non semper est hyphasma, sed saepe crustosum, mucilaginosum etc., hinc mycelium praefero hyphasmatis denominationi.

rimae Algae, mycelii statibus degeneribus fundatae, v. c. *Byssocladia*, *Syncollesiae*, *Mycinemata*, *Hygrocrocis*, *Leptomiti* spec., quarum magna pars a mycelio *Ascophorae Mucedinis* et *Penicillii glauci* pendet. Ad status normales discernendos sequentia afferre juvabit criteria:

1. *Omnes status normales sporidiis veris gaudent.* Omnes Hyphomycetes aspori ut autonomae plantae prorsus delendi sunt! Sed probe simul attendendum non omnia granula floccis inspersa esse sporidia; quae *nuda* et *simplicissima* a floccis ipsis separantur, sunt *conidia*, organum *gonidiis* Algarum respondens. Ubi tam sporidia, quam conidia adsunt, facile separantur; v. c. in floccis lanosis *Fusisporii* vulgo observantur conidia globosa, e matrice ipsa oriuntur sporidia fusiformia. Vere *nuda sporidia* non occurrunt, nam primitus vel muco involuta sunt, vel floccis veli instar teguntur vel denique sunt, sporae, sporidia includentes. Ubi flocci biformes, conidia floccis effusis inspersa reperiuntur, sporidia floccis erectis recepta sunt. Sed in permultis individuis flocci sporidiiferi desunt. *Cfr. n.* 2.
2. *Omnes Hyphomycetes, floccis sporidiiferis instructi, fertiles erecti sunt* *) *aut caespitosi intricato-convergentes, veli instar sporidia primitus obtegentes.* Omnes Hyphomycetes floccis decumbentibus, radiatis l. centrifugo-expansis certissime sunt mera mycelia. Hac ratione *Byssocladia*, *Alytosporia*, *Fibrillariae*, *Himantiae*, *Atheliae* etc. etc, mox dignoscuntur ut initia aliorum fungorum vel etiam verorum Hyphomycetum. Sed flocci decumbentes pluribus tribuuntur Hyphomyce-

*) At non omnes flocci erecti sporidiiferi sunt; v. c. flocci lanaeformes in statu normali erecti sunt, tamen mycelia tantum. *Floccos sporidiiferos in* charactere generico tantum adhibere debemus, non vero mycelii!

tibus, quam par est. — Haec lex, passiva naturae contemplatione probata, etiam theoriae bene convenit. Systema plantarum vegetativum tantum expansivum est, fructificationis semper contractivum. In tribu quinta flocci sporidiiferi deficiunt, cum sporidia non e floccis sed e matrice oriantur, h. e. mycelio tantum gaudet haec tribus.

3. *Omnes status normales admodum in formatione symmetrici, regulares, eumorphi, evidentes sunt.* Omne floccosum confusum, indeterminatum, in formatione vagum semper simul atypicum est. Singulis locis haec plenius persequemur. — Hac modo ne quarta quidem pars Hyphomycetum, ut autonomae plantae, restat, sed ea eximia, nobilis, summa attentione digna. Quid enim *Stachylidiis* multisque aliis bene efformatis sub microscopio pulchrius?

HISTORIA. Ante frequentiorem microscopii usum Hyphomycetum cognitio non progredi potuit. Paucas formas quidem rite observarunt *Malpighi*, *Micheli* etc., sed in his fere subsisterunt sequentes Auctores, *Todeo* excepto, l. ad lentem simplicem species quasdam male descripserunt, donec Ill. *Link* horum studium reformavit et maxime dilatavit. Secuti sunt Cel. Viri *Nees ab Esenbeck*, *Kunze*, *Ehrenberg*, *Greville* et pauci alii, ut admirandi sint progressus, quos horum fungorum cognitio per tam paucos observatores fecit. Sed, ut praefiscini dicam, morphoseos studium nimis neglectum fuisse mihi videtur et genera supra omnem modum multiplicata. Nullae plantae tam paucas offerunt notas, ad genera distinguenda aptas. Dimidiam tamen circiter partem servavi s. omne quodammodo limitabile. Genera vero in hac classe reliquarum longe inferioris esse dignitatis, palam est. Majoris sine dubio ponderis tribus v. c. inter Agaricos, quam genus inter Hyphomycetes. Vetera et recepta servanda credidimus, sed *nova cautissime evitanda.* — Has plantulas ceterum

mihi haud satis cognitas esse lubens agnosco, non quas non omnia fere genera et species descriptas nossem et sub microscopio lustrassem, sed cum totam evolutionis et anamorphoseos seriem plene sequi non licuerit. Maluissem igitur hanc particulam differre, sed a redemtore coactum opus qualecumque sit, ut morphologia pleniori studio commendetur, edere non piguit. Sed eum haud exiguam inter perfectiores fungos auctoritatem mihi arrogare vellem, in his admodum levem. Hinc plurimas novas species e. s. p. consulto omisi, donec observationes, quas posthac ardentius adgrediar, finitae sint. Neglecto morphologico nil facilius est, quam quotidie nova genera et species distinguere.

LIMITES, quibus hoc loco circumscribuntur Hyphomycetes, e charactere dato sequuntur. Separatis Coniomycetibus et Hyphomycetibus ad horum familiam necesse referantur Cephalotrichei; *Sporodesmium* vero, *Torula* etc. ad Coniomycetes pertineant. Hyphomycetibus addit Ill. *Link Antennariam*, *Erysiphen* etc., sed his verum peridium, perfectior metamorphosis, ideoque eodem jure ac Sphaeriae et Byssisedae excluduntur. *Phylleriaceae* omnes non sunt autonomae plantae, sed exanthemata; inter fungos tantum ad calcem, appendicis loco, citari possunt. Nimis longe deduceret, si hoc loco exponerem omnes aberrationes et status atypicos eorumque rationes (Cfr. *Syst. orb. veg. I p.* 212—217. etc.); sequentia genera ut tales negleximus:

a. *Mycelia saepe luxuriantia Hymenomycetum*:

Ozonium. *Link - Pers.*
Himantia. *Pers. etc.*
Fibrillaria *Sowerb. Pers.*
Xylostroma. *Tode - Pers.*
Acrothamnium. *Nees - Link - Pers.*
Hyphasma. *Rebent.*
Athelia. *Pers. myc. Eur.*
Alytosporium. *Link.*
Celletosporium *Link.*? mihi non certe notum,

sed adsunt Thelephorae status, quibus convenit character.

Racodii spec. coloratae *Pers. et Auct.*, quae

Dematii spec. *Link.*

Ceratonematis spec. *Pers.*

Byssi spec. *Decand. Chev.*

Byssocladium candidum *Link* etc.

Mycinematis spec. *Ag.-Desmaz.*, v. c. M. phosphoreum.

Rhizemorphae non corticatae. *Ach. Pers.*

b. *Mycelia Pyrenomycetum* et *Perisporiaceorum.*

Rhizomorphae species corticatae *Pers.-Ach.* etiam *Rhiz. intestina* Decand. (sed hoc genus varia complectitur, unicam autonom.)

Dematii spec. atrae. *Link*, sed etiam diversa complectitur.

Racodii spec. *Pers.*

Amphitrichum *Nees.* (Sphaer. pilifera!)

Actinonema *Pers.*

Capillaria (cum Venularia) *Pers.-Link.*

Exosporii spec. *Link.* Trichostroma. *Corda.*

Torulae spec. *Auct.* e. s. p.

c. *Mycelia Myxogastrium:* Cfr. Syst. myc. III. sect. I.

Emboli, Mucilaginis spec. *Auct.*

Mesenterica. *Tode.-Pers.*

Phlebomorpha. *Pers. Myc. Eur.*

d. *Mycelia Hyphomycetum*, l. *status collapsi.*

Byssocladium. *Agardh.* — species. *Link.*

Mycoderma. *Pers.*

Hygrocrocis. *Agardh.*

Hypha. *Pers. Link*, s. Demat. spec. *Pers. syn.*

Geotrichum. *Link-Pers.-Nees.*

Sarcopodium. *Corda.*

Fumago *Pers.*

Syncollesia. *Ag.*

Praeter haec neglecta genera, alia suis locis citantur. Praecedentium autem species raro ad definitas species referre licet. Alia genera tam autonomas offerunt species, quam mycelia v. c. *Sporo-*

trichum, Sp. *byssinum*, *tela* et plurimae Persoonii spec. sunt mycelia *Hymenomycetum*, *Sp. macularum* Pyrenomycetis, *Sp. virescens* Link est Trichoderma viride destructum; permultae sunt mycelia Hyphomycetum, — aliae denique Lichenum thallus solutus. — Limites versus Byssaceas et Phyceas difficiles sunt, certos tamen gonidia offerunt. Cfr. *Lichenogr. Europ.* Alia ratione in *Syst. orb. veg.* limitantur.

SERIES EVOLUTIONIS. A Coniomycetibus, sensu strictiori, qui vegetatione propria s. mycelio carentes certe infimi, surgunt Hyphomycetes *). Infimi Hyphomycetes sporidia matrici innata l. adnata absque floccis discretis sporidiiferis Coniomycetum more habent, sed accedit mycelium distinctum. In sequentibus surgunt flocci sporidiiferi; in *Mucedineis* tubulosi, pellucidi, e membrana simplicissima facti, septati; in *Dematieis* solidiores, subopacae, corticatae et in perfectioribus luculenter e fibrillis longitudinalibus contexti. Porro in Mucorinis flocci sporidiiferi in vesiculam simplicissimam inflati, tandemque stromate recepti; *Cephalotrichei.*

CONSPECTUS sectionum, quae tam affines ut potius tribus, quam ordines dicendae:

I. CEPHALOTRICHEI. Sporidia inspersa floccis stromate liberato receptis. *Mycelium si adest floccosum.*

II. MUCORINI. Sporidia vesiculae inflatae floccorum sporidiiferorum recepta. *Mycelium si adest floccosum, conidiis subnudis.*

III. DEMATIEI. Sporidia e floccis sporidiiferis corticatis contiguis annulatisve solidis subopacis

*) Coniomycetes ad Hyphomycetes, ut Diatomeae ad Ulvaceas, v. c. Confervas, accedunt. Analogia inter *Hyphomicetes* et *Ulvaceas* major et evidentior est quam inter Pyrenomycetes et Lichenes. Utriusque seriem suo loco exponemus. Jam ex hac analogia luculenter patet, Fungos et Algas, tam Lichenosas, quam Phyceas complectentes, esse sectiones paris dignitatis.

enata. *Mycelium saepe crustosum l. floccosum conidiis non nudis.*

IV. MUCEDINES. Sporidia floccis sporidiiferis e simplicissima membrana factis, tubulosis, pellucidis inspersa. *Mycelium floccosum, septatum, conidiis nudis.*

V. SEPEDONIEI. Sporidia e matrice adnata aut supra matricem cumulata, flocci sporidiiferi nulli. *Mycelium floccosum, varium.*

CRITICA. Primas lineas systematis, in fronte operis datas, sequens distinguo *Hyphomycetes* et *Coniomycetes*, sed systematis vegetativi in veris horum defectu tantum differunt. Exclusorum Phylleriaceorum loco optime substituuntur *Sepedoniei*. — Ceterum ab isto tempore novo morphoseos studio multa aliter proponi posse intellexi, quae ad finem hujus voluminis exponam.

ORDO I.

CEPHALOTRICHEI.

Nees Syst. 1. *p.* 84. *Syst. Myc.* 1. *p. XLVIII.* Gymnomycetum genera. *Link. Spec.*

CHAR. Sporidia extra stroma superficiale liberum flocciferum enata, mox nuda, libera, simplicia. Mycelium, si adest, discretum, floccosum.

Obs. Incipiunt plurimi mycelio floccoso expanso, gonidiis inspersis, in quo statu pro Sporotricho (spurio) facile sumuntur. In perfectis vero flocci in stroma coalescunt saepius verticali, sed in aliis horizontali. Habitus hinc prorsus *Hymenomycetum;* magis tamen cum horum myceliis, quam statu perfecto conveniunt. — In aliis flocci conglutinati; in *Dacrina*, genere abnormi, flocci extus nulli conspiciuntur; sed stroma ipsum flocciforme.

AFFINITAS. Alia genera (*Isaria*, *Peribotryon*, *Hypochnus*, *Ceratium*) evidentius a Mucedi-

neis adscendunt et cum his loco et statione conveniunt. Alia vero a *Dematieis* potius (*Cephalotrichum*, *Hypochnus*, *Scorias*, *Dacrina*, quae simul magis persistentes. *Ceratium* praecipue junius *Stilbum* eximie mentitur. — Valde affines insuper sunt *Trichodermacei* varii, inter Mucedines et Cephalotricheos quasi medii.

SYNOPSIS *generum* e floccis sporidiiferis praecipue distinctorum:

1. ISARIA. Receptaculum elongatum, contiguum, floccosum; floccis sporidiiferis rectis tectum. Sporidia nuda.
2. CEPHALOTRICHUM. Receptaculum stipitiforme, rigidum, fibrosum; floccis sporidiiferis in capitulum discretum contortis.
3. ANTHINA. Receptaculum elongatum, contiguum, floccosum, rigescens, floccis sporidiiferis apice tantum liberis, sporidiis latentibus.
4. PERIBOTRYON. Receptaculum rotundato-lobatum, floccosum, undique floccis sporidiiferis ramosis tectum. Sporidia racemoso-conglomerata.
5. HYPOCHNUS. Receptaculum effusum, floccosum, floccis sporidiiferis in globulos sporidia cingentes implexis.
6. SCORIAS. Receptaculum difforme, e fibris intricatis conglutinatis factum, rigescens, apicibus fibrarum in sporidia maxima abeuntibus.
7. DACRINA. Receptaculum difforme, ramulosum, e floccis conglutinatis factum, rigescens, sporidiis secedentibus.
8. CERATIUM. Receptaculum difforme, subcornutum, mucilaginoso-fluxile, collabescens, floccis in conidia collabentibus et sporidiis adspersum.

†. EPICHYSIUM. Receptaculum hypocrateriforme, byssino-membranaceum. Sporidia floccis dendroideo-ramosis areae internae adnatis adfixa. — *Videas post n.* 7.

COREMIUM floccis sporidiiferis intricatis apice penicillatis. Vide Penicillium mucedineum.

CRITICA. Aptius forsan *Isarieae* dicendae, sed nomen Neesianum mutare nolui. — Genera omnia habitu distinctissima, ut neglecto stromate inter Dematieos et Mucedines dispescas.

I. ISARIA. Hill. ex em.

Isariae Spec. *Hill.-Pers. et Auct. Nees Syst. p.* 85. Isaria. *Syst. orb. Veg.* 1. *p.* 169. (et Amphichorda. l. c. p. 170. olim separanda.)

CHAR. Receptaculum elongatum, contiguum, e floccis dense intricatis coalitum. Flocci sporidiiferi investientes, patentes. Sporidia globosa, simplicia, inspersa.

Obs. Veteres hoc genus cum Clavariis, ob formam saepius clavaeformem, commutabant, licet ob substantiam floccosam similarem (unde nomen forsan, 1635) distinctissimum sit. Primi determinatores Isariae typum in Ceratio, omni respectu distinctissimo, quaesiverunt variaque peregrina adjecerunt, sensim exclusa, ut *Cephalotrichum*, *Anthinam* etc. — Adhuc colligit species inter se structura et sporidiorum origine diversas, sed generum inde ortorum limites nondum evidentes. Locus multarum specierum in larvis, pupis, immo imaginibus Insectorum admodum insignis est. Magnam harum copiam liberalitate Cel. Doct. Siemers, Hamburgensis, lustrare nobis contigit. Maxime proteas vidimus, forma parum admodum fixa est, saepe perfectam evolutionem haud attingentes *Sporotricha* etc. referunt.

* *Terrestres aut fimicolae.*

1. *I. terrestris*, simplex, aequalis, basi villosa nigrescens, apice dilatata truncata alba, floccis sporidiiferis vestita. *Fries Stirp. Fems. p.* 86.

Mycelium nullum distinctum conspicitur, sed fungus ipse gregatim oritur, simplex, raro duobus connatis furcatus, 2—3 lin. altus, erectus aut adscendenti-curvatus, qualis vero praecipue fit exsiccatus, aequalis, teres, albus, ipso apice tantum dilatatus et truncatus, inferne villoso-rugosus nigrescens. Stipes nullus discretus, licet apice tantum floccis sporidiiferis ornetur. Non quidem ad maximas pertinet species, sed eximie typica est et distincta. *Ad terram nudam humosam in declivibus fagetorum rarissima, at lato et dense agmine lecta ad Bohult in par. Femsjö.* (v. v.)

2. *I. felina*, caespitosa elongata filiformis ramosa alba, intus solida filamentosa, strato sporidiifero laxe farinaceo corticata.

Clavaria? felina. *Dec. fr.* 6. *p.* 30. Isaria felina. *Fries. Syst. Myc.* 1. *p.* 496. *Cheval. Journ. Phys. Févr.* 1822. *t.* 1. *f.* 5. *Fl. Par,* 1. *p.* 82. *Duby Syn. Gall. p.* 878. Fibrillaria felina. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 53.

Mycelium album in junioribus evidens, adultius vero abit in ramos filiformes crassos in densum caespitem junctos. Rami nunc simplices, nunc apicem versus divisi aut penicellati, nunc, ex Chevallier, incrassati. Intus farcti sunt medulla filamentosa, Rhizomorpharum instar. Stratum exterius undique similare, e sporidiis majoribus farinaceum, floccis e sporidiis minoribus intertextum. Ceterum adfinium more protea species, at valde distincta, nec dubie novi generis typus (*Amphichorda.* Syst. Orb. Veg. 1. p. 170.), licet hoc loco tam pauca genera recipiam, quam fieri licet. *Ad stercus felinum in cryptis.* (v. s. ab inventore Chaillet communicat.)

** *Entomogenae.*

3. *I. farinosa*, subcaespitosa, alba, stipite distincto simplici glabrescente, clavulis incrassatis farinaceis.

Ramaria farinosa. *Dicks. Crypt. Brit.* 2. *p.* 25. *Sowerb.* t. 308. *Holmsk. ot. p.* 94. cum iconibus optimis omnium formarum. *Nov. Act. Dan. I. p.* 299. *f.* 6. Isaria crassa. *Link. Spec.* 2. *p.* 112. optime jungens sequentes formas:

a. *velutipes*, stipite floccoso, clava integra. Is. velutipes. *Link. diss. 1 p. 18. f. 32. Dittm. in Sturm. Deutsch. Fl. t. 54. Nees Syst. f. 85. Pers. Myc. Eur. I. p. 45.*

b. *crassa*, stipite glabro subflavido, clava integra, I. crassa. *Pers. Comm. Fung. clav. p. 99. Syn. p. 687. Myc. Eur. l. c.* Alb. et *Schwein. Consp. p. 360.*

c. *truncata*, clava incisa crenulata, demum in ramulos abiens. Isaria truncata. *Pers. Il. cc.*

Mycelium album plerumque distinctum, saltim in junioribus. Clavulae plerumque simplices, sed forma admodum mutantur et subinde prolificatione in ramos plurimos abeunt; semper vero adest stipes distinctus et statura (1—2 unc. usque alta) sequentium major. Formae a. et b. vix nisi aetate differunt, tamen stipes in b. vulgo brevior; sed hae minime normaliter per aetatem in c. abeunt. Optime semper dignoscitur capitulo farinaceo, ut nomen antiquissimum simul optimum. — Observant Albertini et Schweinitz l. c. se aliquando habuisse fungum rostris patulis flexuosis pubescentibus nigris, veluti spinulis horrentem, quae ad Sphaeriam quandam pertinere videbantur, verum perithecia eruere non contigit. *In Chrysalidibus emortuis putrescentibus, praecipue inter folia decidua, ceteris vulgatior. Aug. — Novembr.* (v. v.)

4. *I. leprosa*, caespitosa, carnea, stipite contiguo clavulisque incrassatis undique floccosis pulverulentis.

Statura curta, aliquot linearum, sed clavulae, si bene explicatae, incrassatae, obtusae. Sporidia copiosissima, laxissima, globosa, floccis admodum laxis inhaerentia, immixtis globulis, unde facies nudo oculo eximie floccoso-leprosa. — Quoad formam ita mutatur, ut facile plura fingas genera, sed omnium vidimus transitus directos et evidentissimos. — In a) clavulae subcernuae sursum incrassatae stipitesque simplices regulares; b) clavulae irregulares, passim compressae et incisae, passim tuberculosae et sessiles; c) mere crustacea, effusa, aequabilis, Hypheliae facie, quam pro statu mycelii

sine haesitatione habuissem, nisi fructificatio exacte eadem fuisset ac in speciminibus clavatis. Ex hoc unico exemplo satis elucet, quam cauti simus in his plantis ad genera ex habitu condenda. *Iisdem ac praecedens locis, at rarior. — E Germania Cel. Doctor* Siemers, *cum locupletissima affinium collectione.* (v. s.)

β. I. Corallina, ramosissima, clavulis fasciculatis.

Non equidem in *I. leprosam* transire vidi, at habitus idem, color tantum paulo dilutior. Fructificatio eadem; sed forma diversissima; stipites longiores, graciliores, apice plures clavulas plus minus discretas proferentes; hae plerumque pendulae sunt, nec erectae ut in *I. farinosa* c., cui videtur analoga. *Cum praecedente in pupa Noctuae instabilis* (v. s.).

5. *I. Aranearum*, effusa, crustacea, lutescens, clavulis setaceis citrinis, apice pulverulento incarnato. *Schwein.! Carol. n.* 1299.

I. phalangiophila. *Link Spec.* 2. p. 114.

E crusta lutescente splendente proveniunt clavulae simplices, bilineares, caespitosae, divergentes, erectae vel decumbentes, apice more Isariarum sporidiis pulverulentis conspersae, stipite citrino nudo. *Schweiniz. — Passim innascitur Araneis cum foliis in herbario praeservatis. Lecta in Carolina superiori* (v. s.)

6. *I. Arachnophila*, subcaespitosa, clavata, simplex, alba, undique pubescenti - pulverulenta.

I. arachnophila. *Dittm. apud Sturm l. c. t.* 55. *Pers. Myc. Eur. p.* 45. *Link Spec.* 2. *p.* 113.

Stipes omnino nullus discretus. Ceterum mire variat statura et magnitudine. Maxime regularia specimina pinxit Dittm. l. c., erecta, simplicia, sursum aequaliter incrassata, lineam alta. — In *Geometra betularia* rudior, decumbens, fere amorpha. — In *Geometra defoliaria* erecta, linearis, aequalis. — In *Geom. zonaria* et praecipue *brumata* subulaeformis; in *Geom. dilutata* color cinerascens. — Ceterum in specie *Tachinae* variisque pupis vidi spe-

cimina vix discernenda. *In Araneis emortuis; praecipue vero in pupis Geometrarum. Aug. — Nov.* (v. v.)

β. clavulis ramulosis.

Vulgari major, 2—3 lin. longa, saepe curvata et pendula. Prope ad Isariam leprosam *β.* forma accedit. *In pupa Geometrae.* (v. s.)

7. *I. Eleutheratorum*, caespitosa, filiformis, torta, alba, ramulosa, ramis lateralibus minutis, undique pubescenti-pulverulenta.

1. Eleutheratorum. *Nees! Syst. p.* 86. *f.* 84. *Pers. Myc. Eur. p.* 45. *Chev. par. p.* 82. *Link Spec.* 2. *p.* 113.

Magnitudo et habitus praecedentium, at licet hae etiam ramosae varient, haec luculenter differre videtur stromate haud clavato, ad latera breviter ramuloso, cum in praecedentibus rami potius clavularum proles sint. Color per aetatem fuscescit. *Ad Carabos emortuos, autumno, hieme.* (v. s.)

8. *I. floccosa*, caespitosa, subulata, simplex, alba, undique floccoso-tomentosa.

Ab *I. arachnophila*, protea, charactere acuto aegre dignoscitur at facile facie eximie floccosa, nam licet sporidia in speciminibus vetustis sint copiosa, oculo mediocriter armato floccosa tantum apparet. Facies fere Hydni, eximie regularis, subulis 1—2 lin. longis. *In larvis et pupis Bombycis Jacobeae pluries lecta.* Siemers. (v. s.)

9. *I. strigosa*, caespitosa, subulata, simplex ramulosave, albida, demum glabrescens.

Omnino a praecedente diversa. Mycelium maculam subdeterminatam efficit, e qua surgunt subulae plurimae fasciculatae, primo subdecumbentes, graciles, simplices aut e pluribus tantum confluentibus ramosae, 2—3 lin. longae. Superficies undique similaris, nudiuscula, sub lente tamen pubescens et sporidiifera, vetusta vero glabrescens et substraminea. *In pupa Noctuae Ypsilon* Siemers! *sed etiam in aliis perfectiorem vidi, jam aestatis fine.* (v. v.)

10. *I. Sphingum*, gregaria in mycelio sericeo, simplex, longissima, setacea, compressa, subpulverulenta, albida.

I. Sphingum. *Schwein.! Car. n.* 1298. I. Sphingophila. *Link Spec.* 2. *p.* 114.

Imaginibus, nec larvis, innascitur, radii abdominis margines et alarum nervos praecipue occupans, sed mycelium crustaceo-fibrosum effusum est. Uncialis, apice obtuso, tota alba, obsolete pubens et parce sporidiifera, hinc transitum naturalem ad sequentem magis abnormem speciem sistens. — „Memorabile est, quod in ramulis, in quibus Sphinx emortua insidens a fungo investitur, per omnes menses hiemis folia, quamquam sicca, viridissima tamen conservantur.“ *Innascitur Sphingibus, ramulis fagineis insidentibus; in Carolina superiori sat vulgaris.* (v. s.)

11. *I. Sphecophila*, gregaria, simplex, longissima, rigida, filiformis, dilute umbrina, inferne glabra, medio nodosa, apice attenuata puberula cinerea.

I. Sphecophila. *Dittm. l. c. t.* 57. *Link. Spec.* 2. *p.* 113. Ceratonema Crabronis. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 48.

Situs praecedentis, at valde diversa, mycelio nullo, statura quadripollicari, nodo infra medium contorto, ut colorem et sporidia parca admodum reticeam. Intus fibrosa, alba est. *In Vespa Crabrone emortua Germaniae.* (v. v.)

12. *I. exoleta*, gregaria in mycelio fibroso, elongata, fragilis, filiformi-compressa, dilute fusca, undique concolor et pulverulenta.

Specimen, quod adest, faciem exoletam prae se fert, at cum alia jungi nequit. Mycelium effusum, leproso-fibrosum. Stipes distinctus nullus, sed tota conformis, superficie valde inaequabili et sporidiis tecta, floccis parum conspicuis. Fragilitas insignis. *In larva Noctuae exoletae.* Siemers. (v. s.)

Obs. Plures utique vidimus ex hac sectione, sed haud rite evolutas species. In aranea emortua v. c. fila rigida tenuissima absque fructificatione. Variae forte fuere tantum mycelia Isariarum haud rite evolutarum v. c. Sporothricheum in larva *Tortricis testudinariae* e. s. p.

*** *Phytophilae.*

13. *I. Monilioides*, gregaria, subturbinato-capitata, candida, viloso-farinosa, stipite glabrescente subluteo.

I. monilioides. *Alb. et Schwein. p.* 362. *t.* 12. *f.* 8. *Dec. Fr.* 6. *p.* 12. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 47. Cephalotrichum monilioides. *Link. Spec.* 2. *p.* 112.

Vera Isariae species! stipite distincto plerumque lutescente semipellucido (variat albus et rufescens) et clava oblonga, aut saepius turbinata distinctissima. Ceterum admodum pusilla, pluribus concrescentibus ramosa. Sporidia filis distinctis adspersa. *In truncis vetustis pineis in silvis montanis Sueciae* (Cfr. Scl. Suec. exs.), *Lusatiae etc. primo vere maxime abundans.* (v. v.)

14. *I. epiphylla*, caespitosa, simplex, clavata, alba, undique floccosa.

I. epiphilla. *Pers. Comm. clavaef. p.* 100. *Syn. p.* 688. *Myc. Eur.* 1. *p.* 46. *Alb. et Schwein. p.* 361. *Dec. Fr.* 6. *p.* 12. *Link. Spec.* 2. *p.* 115. I. fasciculata. *Sommerf. Lapp. p.* 248., ad Thelephoras, var. basi nuda.

In orbem plerumque collecta, clavulis 2—3 lin. longis, extrorsum subcurvatis, obtusis. Sporidia inspersa, sed farinosa vix apparet. *Ad folia putrescentia Populi etc.; sed, ex Alb. et Schwein., in Agaricis putridis, corio vetusto. Simili loco etiam hic in America boreali legit.* I. fasciculata Sommerf. *in Thelephoris putridis, ceterum vix recedit. Bruma.* (v. v.)

15. *I. tomentella*, aggregata, clavato-cylindrica, simplex, sordide lutea, pilis longis simplicibus albidis undique hirta.

Ad *Peribotryon* haec species accedere videtur pilis longis albis distinctis, quibus sporidia rare adspersa, ut nudis oculis adspecta haud evidenter farinosa. Crescendi modus singularis, dense gregarius, terram spectans; crassiuscula est, sed lineam tantum longa. *Ad ligna putrida coacervata in silvis. Autumno.* (v. v.)

16. *I. clavata*, gregaria, clavata, simplex, umbrino-straminea, undique flocculoso-farinosa.

I. clavata, *Dittm. l. c. t.* 56. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 46. *Link. Spec.* 2. *p.* 115.

Gregaria aut fasciculata, lineam vix attingens, sed eximie regularis. A priori omnino diversa sporidiis et floccis tenerrimis simul umbrino-stramineis. *In truncis emortuis fagineis locis umbrosis exeunte aestate.* (v. s.)

17. *I. glauca*, fasciculata, cylindrica, stricta, simplex, glauca, undique puberula.

I. glauca. *Dittm. l. c. t.* 19. *Pers. Myc. l. c. Link. Spec.* 2. *p.* 116.

Statura praecedentis, sed magis fasciculata et color albido-glaucus. Sporidia admodum parca. Videtur *Anthinis* peraffinis, nempe *Anth. cano-fuscae.* Hujus forsan, ex ipso Auctore, varietas est. *I. glaucocephala*, Link. l. c. colore deorsum fusco tantum diversa. Mihi ignota est. *Ad truncos vetustos fagi, autumno.* (v. ic.)

18. *I. bulbosa*, caespitosa, conico-attenuata, simplex, alba, basi dilatata, undique floccosa.

I. bulbosa. *Nees! Syst. p.* 86. *f.* 83. *Link. l. c.*

Nescimus utrum haec quoad vegetationem haud satis observata species erecta an pendula nascatur; immo an non cum praecedenti, ut suspicatur Ill. *Link.*, nimis conjuncta sit. Tota lineam alta, basi nigrescens. *Ad ligna putrida, autumno.* (v. s. incompl.)

19. *I. calva*, gregaria, subulata, simplicissima, ex albo ochracea, adulta glabrata.

Hydnum calvum. *Alb. et Schwein. p.* 271. *t.* 10. *f.* 8. *Dec.! Fr.* 6. *p.* 36. ex Chaillet! Isaria. *Fries S. M.* 1. *p.* 425. I. Hydnoides. *Link. Spec.* 2. *p.* 116.

Laxe gregaria, basi numquam conjuncta, lineam longa l. parum ultra, basi aequali leviter attenuato-subulata, definite terram spectans, ut ipsa in situ obliquo obliqua fiat. Hac vegetatione maxime ab Isariis genuinis recedit; insuper substantia ceraceo-gelatinosa molli, contextu vesiculoso, superficie demum omnino nuda et glabrata, junior tantum floccis vix sporidiiferis vestita. Maxime itaque recedit, *Soleniis* fructificatione, non forma, proxima, sui generis: *Mucronia*, quale limitibus vagis hoc loco recipere nolui. *Maxime abundat in pagina inferiori truncorum putridorum Abietis, ad terram prostratorum in silvis montanis Sueciae, Lusatiae etc., autumno* (v. v.)

20. *I. furcellata*, gregaria, ramosa, ramis erectis fastigiatis subclavatis, floccis sporidiiferis erectis versus apices ex albo ochraceos collectis.

I. urcellata. *Mart. Erl. p.* 364. *Link. Spec.* 2. *p.* 117.

Plantula parva, vix $\frac{1}{4}$ lin. alta, in caespitem diametro subpollicarem congesta, erecta, basi simplex, superne in ramos 2 - 6 subfastigiatos erectos aut hinc inde flexuosos divisa. Flocci in apicibus ramorum erecti sporas minutas globosas ferentes. Color plantae vegetae albus, *substantia tum temporis mollis gelatinosa*; postea apices pallide ochracei evadunt et massa siccescit. Interdum mycelium tenue album floccosum adest. Videtur prioris congener. *Ad asseres semiputridos Erlangae lecta.*

21. *I. intricata*, caespitosa, capillaris, ramosa, alba, ramis paucis erectis intricatis villosis, pilis apice monosporis.

Caespites minutos sistit intricatos, haud compactos, albos, 1—3 lin. altos. Rami singuli aequales, capillares, sub microscopio dense hirti, pilis plerisque *Verticillii* aut *Acremonii* more sporidio ad-

nato terminatis. *Ad fungos variasque mucerdas, autumno.* (v. v.)

Obs. Isaria subsimplex *Schum. Saell.* 2. *p.* 443. praecedentis varietas videtur.

22. *I. brachiata*, gregaria, rigida, basi glabrescens, ramosissima, ramulis tenuibus patentibus strictis albis.

Mucilago. *Hall. helv. n.* 2130. Clav. brachiata *Batsch El. Fung. cont.* 1. *f.* 163. — *Sowerb.* Isaria brachiata. *Schum. Saell.* 2. *p.* 443. I. Agaricina. *Pers. syn. p.* 688. *Alb. et Schum. p.* 360.

Species protea, sed distinctissima habitu stricto, strigoso, patulo. Apud nos attingit etiam altitudinem semiuncialem, deorsum omnino glabrata et citrina, ut colore a sequente non separanda. Iunior tota alba est, flocculoso-farinacea. *Non tantum in fungis, sed etiam in foliis* (A. S.) *radicibus* (Schum.) *et variis corporibus putrescentibus. Autumno.* (v. v.)

23. *I. citrina*, gregaria, ramosissima, mollis, undique pilosa, citrina, apicibus albicantibus.

I. citrina. *Pers. ic. et descr. t.* 3. *f.* 1. *Syn. p.* 689. *Myc. Eur.* 2. *p.* 46. *Dittm. apud Sturm. t.* 57. *Link. Spec.* 2. *p.* 117.

Denso agmine licet crescat, numquam caespitoso-fasciculata, sed ipsa vere et repetito-ramosa, 1—2 lin. alta, crassitie fere aequali, apicibus tantum attenuatis. Rami erecto-divergentes, subarcuati. Sporidia in pilis solitaria. *Ad truncos putridos rarior. Aug.* — *Nov.* (v. v.)

Obs. *Isaria mucida.* Pers. est Ceratium; *I. carnea* Pers. est Botrytis; *I. saccharina* et *byssoidea* Myc. Eur. aliorum mycelia. — *I. tremellosa* Schum. etiam Ceratium — Memorabilis est *Isar. microscopica* Grev. Crypt. Scot. t. 3, clavata, floccis sporidiisque destituta, hinc genere dubia. Forte est status *Stilbi parasitici*, cum quo hoc genus non analogum tantum, sed anamorphosi affine. *Mucor villosus* Bull. habitum Isariae omnino prae se fert, sed ex autoptis sit Stilbum.

II. CEPHALOTRICHUM. Link.

Emboli spec. *Veterum*. Periconia *Recent.* non Tode. Cephalotrichum. *Link. Obs.* 1. *p.* 18. *Nees Syst. p.* 84.

CHAR. Receptaculum stipitiforme, subulatum, rigidum, terminatum capitulo discreto e floccis contortis, sporidiis globosis interspersis.

Obs. Affinitas Isariarum evidens est, attamen potius ab Anthina, stipite rigescente, penicillis terminalibus in capitulum collectis surgit. Extra suam tribum ad *Sporocybos* evidenter accedit, sed in his capitulum nullis floccis intertextum est. Analogia cum Trichia etc. remota est et vix notanda. Stipes simplex, e fibris longitudinalibus contextus, capitulum non intrans et capitulo deciduo persistens. Capitulum terminale solitarium, farinaceum, filis intertextis, unde nomen a *κεφαλη* et *θριξ*.

1. *C. Stemonitis*, capitulo conico-attenuato cinereo, stipite laevi subfurfuraceo nigricante.

Embolus niger, villo albo adspersus. *Hall. helv. n.* 2137. *t.* 48. *f.* 1. Embolus bicolor. *Web. Hols.* — Byssus conoidea. *Fl. Dan. t.* 897. *f.* 2. (Mucor trichodes *Sowerb. t.* 378. *f.* 1, 2, 4. Isaria m. fuscipes *l. c. f* 3. sistunt species inter hoc et Sporocyb. ob icones incompletas ambiguas.) Isaria Stemonitis *Pers. Comm. Clav. p.* 103. Pericon. *Syn. p.* 687. Cephalotrich. *Nees Syst. p.* 87. *Sommerf. Lapp. p.* 313.

b. Pusillum, vix semilineare, stipite nudo. *Alb. et Schwein. p.* 358. Peric. nana. *Ehrenb. silv. Ber. p.* 24. *Link. Spec. 2. p.* 110.

Greges sistit densas, indeterminatas. Stipes 1—2 lin. longus, setaceus, laevis, proprie nudus, nigrescens, eximie persistens. Capitulum elongato-conicum, nudo oculo farinaceum, sed sub microscopio conspiciuntur fila intertexta, flexuosa, minus contorta. Huic simillima est *Periconia subulata* Nees Nov. Act. Ac. Nat. Cur. Ix. p. 238. t. 5. f 8. Link, Spec. 1. p. 109, ex quo huc simul referenda *Peric. Avellanae* Reb. neom. p. 358. et vix distinguenda, cum flocci in adultis evanescant. *Ad ligna, ramu-*

los et stipites, b. locis suffocatis, ut in cellis; Europae et Americae borealis, brumali tempore. (v. s.)

2. *C. flavovirens*, capitulo oblongo flavovirente, stipite striato fusco.

Peziconia flavovirens. *Alb. et Schwein. Consp. p. 367. t. 4. f. 7. Nees Syst. f. 87. β. Mart. Erl. p. 366. Link. Spec. 2. p. 111. Duby syn. Gall. 2. p. 877.*

Stipes deorsum incrassatus, e bulbillo quasi ortus (eodem ac in variis *Anthinis*, *Helmintho sporiis etc.*), fibrillis longitudinalibus adnatis extus striatus, unde insuper affinitas cum Anthina elucet. Capitulum oblongum, fere cylindricum, quoad colorem cum *Coniocybe furfuracea* bene comparatum, tandem deciduum. Ex inventoribus variat capitulo sphaerico. *Ad folia deciduq putrida betuligna et locis paludosis vere, sociis Mitrula paludosa et Vibrissea truncorum.* (v. v.)

3. *C. rigescens*, fuscum, capitulo rotundo laxo, stipite fibrilloso.

C. rigescens. *Link. Obs. l. c. t. 1. f. 34. Spec. 2. p. 111. Nees Syst. p. 87. f. 87. Chev. par. t. 4. f. 21.*

Lineam longum, totum concolor, fuscum, fere nigrum. *In truncis caesis Germaniae.* (v. ic.)

III. ANTHINA. Fries.

Ceratonematis spec. *Roth.* — Clavariae, Isariae etc. spec. *Auct.* — Anthina. Fries *Nov. ed. 1. 1819. p. 79. Syst. orb. veg. 1. p. 169.*

CHAR. Receptaculum verticale, elongatum, cum stipite subattenuato rigescente contiguum, sursum dilatatum, totum e floccis longis simplicibus septulis dense parallelo-stipatis laxius contextum, floccis apice liberis plumosum aut villosum. Sporidia interspersa, rara, globosa.

Obs. 1. Genus eximium, speciebus quibusdam pulcherrimo colore splendentibus insigne, quasi *flo-*

res fibrosae, unde nomen, sistentibus. Saepe quoque separatae inerunt, sed absque analysi, unde genus tam cum heterogeneis confusum, quam ab asseclis suffocatum. A Cephalotricho differt circiter ut Clavaria a Mitrula; ab Isaria, cui forma variae species accedunt, longius distat. Historia longe alia. *Anthinae* aridae, primo molles laete coloratae, siccae vero contrahuntur, rigescunt, vulgo fusco-nigricant, unde duplex vulgo distincta forma. *Anthinae* numquam ut Isariae farinosae, collabentes, nec intus stromate solidiori gaudent. Tota substantia, licet extus laevigata, glabrata l. e fibrillis adpressis longitudinalibus tantum sericeo-fibrosa, facile solvitur in floccos longissimos etc., e quorum apicibus simplicibus (nec ipsis penicillatis ut in analogo *Coremio*) liberis, receptaculum apice villosum. Hac structura ut etiam colore utique prope accedunt ad s. d. *Ozonia*, sed Ozonia sunt mycelia aliorum fungorum, decumbentia, aspora etc., Anthinae vero omnino videntur plantae aequo jure ac Isariae autonomae, licet *Clavariae*, *Sphaeriae Cordycipites* etc. immaturae l. locis cryptis Isarias prorsus referant. Ceterum *Anthinae* ut erectae, sporidiiferae magis recedunt. Sporidia vero Anthinarum globosa sunt, semper inter fibras sparsa, in aqua diffluentia, sub microscopio composito observanda, non parum ad conidia accedunt. — Inter Mucorinos *Chordostylum* analogum videtur.

Obs 2. Extra hanc tribum ad Dematieas, cum quibus etiam jungebat Roth, ita fere accedunt, ut sequentia duo genera ad Botrytideas. Sed in Dematieis flocci longitudinales in unicam fibram arcte conglutinata sunt, cum in Anthinis facile separantur; hinc etiam Dematieae ectosporae evadunt. — Quoad fructificationem vero duplex inter Anthinas observatur differentia, certe duo analoga, magis quam affinia indicans genera; altera (*Anthinae* verae) absque omni hymenii rudimento; altera (*Pterula*) hymenio instructae, licet non ascigero. Cum vero

habitus et vegetatio prorsus conveniant hoc loco, donec de sede singulae speciei certiores facti simus, conjunctim tractavimus. Vellem ut perspicerent etiam alii aliam necessariam esse tractandi rationem, quando ex unica specie, ceteris neglectis, genera fingere licet, alia ubi species omnes descriptas enumerare et colligere studemus.

I. *Genuinae.* Char. ut supra.

1. *A. flammea*; deorsum attenuata, glabra, sanguineo-crocea, sursum dilatata, plumosa, lutea.

Ceratonema dilatatum. *Roth. Cat. Bot.* 2. *p.* 253. *t.* 3. *f.* 1. Merisma Rüthingeri. *Mart. Erl. p.* 396. huc jam referre non dubito. Cfr. *Syst. myc.* 1. *p.* 434. Himantia flammea. *Jungh. Linn.* 1830. *t.* 7. *f.* 4.

Pulcherrimus fungus, sed ut *Isaria farinosa* etc. et plurimae hujus generis species forma mire varius, nunc simplex, nunc in ramos palmatim divisus, immo ramosissimus. Versus basin stipitiformem glabratam, vix $\frac{1}{4}$ lin. crassam semper attenuatus est, et ramosus, rami semper deorsum attenuati, sursum vero dilatati, fibrosi et apice plumosi. Nascitur solitaria, ad altitudinem $\frac{1}{2}$—1 Unc. surgens. Color pulcherrimus, inferne croceo-sanguineus, superne flammeus; fungus vero exsiccatus, contrahitur, rigescit, fusco-nigricat, ut aegre eundem credas. Sub microscopio facile secedunt flocci longissimi, tubulosi, septati, e quibus totum receptaculum contextum est, et adfusa aqua secedunt sporidia. Inter folia coacervata suffocatus magis byssaceus efflorescit, ad quem statum jam Junghuuii icon accedit et fere pertinet *Byssus rufipes* Journ. Phys. Febr. 1822. t. 1. f. 6. *Ad folia decidua faginea locis humidis nemorosis coacervatis, autumno minime rarus.*

2. *A. purpurea*, deorsum aequalis, sericea, fusco-purpurea, apicibus dilatatis lanuginosis albis.

Byssus clavata. *Roth. Cat. Bot.* 1. *p.* 217. Ceratonema clavatum. *l. c.* 2. *p.* 254.

Plerumque simplex, raro subramosa, semuncialis, fere membranacea, linearis, angustata, plana, sericea, superne dilatata, apicibus lanuginosis. Color purpureus s. dilute sanguineus, splendens, ad basin fuscus, apice albidus *Roth.* Sine dubio congener et nisi idem Auctor distinxerat, varietatem credidissem. *Ad folia putrida quercina, autumno.*

3. *A. fulva*, villosa, fulva, basi dilatata byssacea, sursum complanata, apicibus villosis concoloribus.

A praecedentibus luculenter diversa, 3—4 lin. tantum alta, a basi dilatata byssacea surgens, undique villosa et concolor, nunc simplex, nunc flabellato-ramosa. Apices villosi, sed obtusi, compressi. *Rarissime ad folia dejecta Coryli.* (v. v.)

4. *A. flavovirens*, fasciculata, subaequalis, ramosa, umbrina, ramis strictis pilosis flavovirentibus.

I. umbrina, *β. Alb. et Schwein.* p. 361.

Fungus siccus, parce ramosus, caule ramisque strictis arentibus, persistens absque mutatione 1—3 lin. longus, ut plurimum umbrinus apicibus flavovirentibus. *A. S.* Haec et locus in nostrum fungum omnino quadrant; quem juniorem totum flavovirentem apicibus albicantibus vidi. *In ligno fagineo ad basin Sphaeriae fragiformis, sero autumno — vere.* (v. v.)

5. *A. umbrina*, fasciculata, subramosa, umbrina, ramis strictis apicibus subtomentosis concoloribus.

Isaria umbrina. *Pers. Syn. p.* 689. *Myc. Eur.* 1. *p.* 46. *Ic. pict. t.* 24. *f.* 1. *Link. Spec.* 2. *p.* 117. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 878.

Haec ceteris celebratior species mihi ignota est (genus tamen haud dubium), nisi sit alius speciei status senilis, nam in hoc plurimae species, exsiccatae praecipue, colorem fusco-nigrum induunt. — Plus minus ramosa, 2—4 lin. alta. *Ad ramos exsiccatos.* (v. ic.)

6. *A. canofusca*, simplex, inaequalis, rigidula, inferne fusco-nigra, apice villosa cana.

Sparsa, simplex hactenus tantum visa, $\frac{1}{2}$—1 lin. longa, inaequalis, angulosa quasi, tenax, firma, ceteris compactior, basin versus attenuata. Color junior canescens, dein in fusco-nigrum abit. Variat procul dubio forma, ut omnium specierum, nam color in hoc genere essentiales offert differentias. *Ad cortices putridos Abietis ad terram prostratos, autumno.* (v. v.)

7. *A. filaris*, stricta, simplex, filiformis, hyalina, sicca nigra, apice puberula albicans.

Primo obtutu vegetam pro *Isaria*, siccam pro *Helminthosporio* facile sumas. Basi minuta bulbillosa atra superficiei foliorum adfigitur. Ab hac basi leviter attenuatur, dein aequalis filiformis, sed stricta, recens hyalina s. grisea, mollis, exsiccata nigrescens, cornea; tota 3—5 lin. longa. *Supra folia et gemmas putrescentes Fagi, Septemb.* (v. v.)

8. *A. dichotoma*, erecta, capillaris, aequalis, subdichotoma, nivea, extremitatibus bifidis pubescentibus.

Ceratonema dichotomum. *Roth. Cat. Bot. p.* 252. *t.* 8. *f.* 2.

Capillaris, 2—4 lin. alta, nivea, simplex l. saepius dichotoma, extremitatibus subbifidis, pubescentibus, oculo armato e filis simplicissimis constantibus, hinc sine dubio hujus generis. *Ad folia putrida Alni.* (v. ic.)

II. PTERULA. Receptaculum filiformi-setaceum, circumcirca hymenio demum glabrato sporidiifero, non ascigero cinctum, apicibus sterilibus multifidis. — *Fries Syst. Orb. Veg.* — et in *Schlecht. Linn.* 1830. *p.* 531.

Obs. Pterulas ab Anthinis diversum sistere genus haud dubium est. Sporidia non inter fibras liberas sparsa, sed in hymenio laterali, primo velutino, dein glabrato nidulantur. Illum statum

sistit icon l. c. data, in hoc cum *Cyphella* convenit. — Sed multis speciebus non examinatis ambiguis hoc loco ob analogiam summam inserere aptius visum est

9. *A.* (*Pterula*) *plumosa*, ramosissima, albida, demum fuliginea, apicibus dilatatis plumosis. *Fries l. c.*

Clav. plumosa. *Schwein. Car. n.* 1089.

„Adeo delicata, ut rami setae suillae dorsalis crassitiem basi vix superent, ramuli plumosi ad speciem fere Himantiae" Schum. Unciam alta, vage ramosa, exsiccata, tenax, rigida. Hymenium ascigerum non adest!, immo obscure sporigerum; cum vero Auctor non inter Isarias, sed Clavarias receperit, Pterula potius sit quam Anthina. *Ad terram in umbrosis Americae.* (v. s.)

10. *A.* (*Pterula*) *subulata*, densissime stipata, ramis concrescentibus albido-cinereis, apicibus multifidis subulatis glabris lutescentibus. *Fries in Linn. l. c. p.* 532. *t. XI. f.* 4.

Setaceo-filiformis, basi attenuata excepta aequalis, filo tenui haud crassior, erecta, stricta, 1½ Unc. alta, tenax, in caespitem densissimum intricata et, quod admodum singulare, inter se rami concrescentes. Apices glabrati, 1—2 lin longi, raro simplices, saepius multifidi, subulati, ferrugineo-lutescentes, ob defectum vestitus hymenini albido-cinerei clavulas ceterum ambientis. *In terra humida Galliae occid.* (v. s.)

11. *A.* (*Pterula?*) *penicillata*, elongata, sparsa, simplex, lutea, apice penicillato. *Fries l. c.*

Vaill. Par. t. 8. *f.* 3. Clav. penicillata. *Bull. Champ. p.* 207. *t.* 448. *f.* 3.

Habitus praecedentis admodum gracilis, elongatus, clavula apice fibris 7—10 liberis terminata, unde penicillata, lutea, aurantiaca, subinde fulva. — E Schumacher, si omnino eadem species sit *Cl. penicillata* Schum. Saell. 2. p. 407, atrofusca, basi

subbulbosa, apice pilis albis penicillata. Hac coloris mutatione ab *Anthina flammea* etc. non recedit et forte vera Anthina est. *Ad folia decidua quercina etc.* (v. ic.)

Obs. 1. Quoad affinitatem vegetativi systematis, loci et historiae huc etiam citandae sunt *Typhulae*, cujus generis genuinae species ascis destitutae sunt, v. c. *Typh. filiformis* S. M. 1. p. 496. (*Ozonium lateritium* Pers. et Link.); Schumacheri planta exsiccata ad hanc se habet ut Clav. penicillata Schum. ad Cl. penicill. Bull., nempe per aetatem fusca; *Clav. setipes* Grev.; quae optima Pterula e. s. p. His fructificatio Pterulae, forma Clavariae. Cfr. *Revis. System.*

Obs. 2. Reliqua Ceratonemata Roth. sub Byssaceis exponemus; hoc loco tantum memoranda *Cer. coralloides*, Clav. byssisedae status et C. *tenacissimum*, quod idem ac Ozon. parietinum Link. Ceratonemata P. ut etiam Ozonia Auct. inter genera spuria memoravimus.

IV. PERIBOTRYON. Fries.

Fries ic. anal.

CHAR. Receptaculum rotundatum, sublobatum, e floccis tenerrimis ramosis laxis maxime intricatis formatum. Sporidia globosa, simplicia, in floccis periphericis ramosis racemoso-congesta.

Obs. Genus tam charactere, quam affinitate evidens; in hac serie medium est inter praecedens et sequens; extra hanc seriem est Botrytis supra stroma. Hoc stroma omnino e floccis laxe intricatis formatum est, tam ab Isariae, quam a spurio Botrytidearum condensatarum alienum, genus luculenter distinguit. Plures species nobis innotuerunt, unicam tantum, omnibus novis, attulimus;

observantes simul *Pyrenium lignatile* huic generi non parum ex icone Grev. Crypt. Scot. t. 276. accedere, sed floccos hujus ut velum potius consideramus.

1. *P. Pavoni*, lobis sinuato-ramosis caespitosis aureis.

Byssus? Pavoni. *Duf. in litt.*

Eximius fungillus, colore intenso aureo fulgens. Caespites condensati, $\frac{1}{2}$—1 Unc. lati, nudo oculo velutino-pulverulenti, tactu mollissimi, componuntur e plurimis lobis connatis sinuato-lobatis ramosisque, obtusis, quasi inflatis. Hi lobi intus contexti sunt e floccis tenerrimis, ramosis, mollibus, laxis sed inter se arcte cohaerentes in formam determinatam, extusque vestiti floccis omnino Botrytidis, sporidia globosa, inspersa, laxa, gerentes. Persistens, solis magis filius, quam indigenae nostrae Mucedines. *Ad truncos arborum in Peruvia.* Pavon. (v. s.)

---

†. TRICLINIUM. Fée.

CHAR. „Pileus (receptaculum) submembranaceus imbricatusque, in lobos crenatos partitus, parte superiori laevi, cartilagineo-membranacea, parte intermedia e globulis villosiusculis coloratis composita, parte inferiori filamentis byssoideis laxe textis formata.“ *Fée Crypt. exot. p.* 147. *t.* 34. *f.* 1.

Obs. Genus mihi prorsus ignotum, *forma exacte praecedentis*, ex Auctore *immediate juxta Hypochnum locandum*, cujus habet globulos sporidiiferos, hoc loco memorare necesse visum est, licet a charact. facile discedat. Globuli demum vero in apicibus protruduntur liberi. Habitus Lichenosus, imbricatus.

1. TRICHLINIUM *Cinchonarum* l. c.

Imbricatum, lobis crassis crenatis digitatisque. Color supra griseo-sordidus, subtus albicans, glo-

buli sporidiiferi coccinei. *Ad cortices Cinchonarum in Peruvia.* (v. ic.)

V. HYPOCHNUS. Fries. Ehrenb.

Syst. orb. Veg. 1. *p.* 304.

CHAR. Receptaculum expansum, planum, e floccis contextis formatum, conidiis subpruinosum. Flocci sporidiiferi in globulos villosos, sporidia cingentes, adspersos intricati.

Obs. Receptaculum est Thelephorae, sed hymenium nullum (caute itaque separandum a Thelephoris imperfectis); vera autem affinitate *Hypheliae roseae* videtur proximum. Flocci globulorum tenues, breves, pellucidi. Sporidia Cephalotricheorum minima, globosa. A contextu subfloccoso nomen sumtum. Videtur uti praecedentia (aliaque affinia nondum distincta) genus esse potissimum tropicum. Ad Trichodermaceos accedit.

1. *H. aureus*, effusus, unicolor, aureo-fulvus. *Fries Obs.* 2. *p.* 281.

Late effusus, adnatus, subtus membranaceus laevis, glaber, supra tomentosus et globulis e floccis brevibus contextis, sporidia includentibus conspersus. Sequentibus omnino similis sed tam tomentum, quam conidia et globuli aureo-fulva. *Ad cortices Betulae, raro.* (v. v.)

2. *H. rubrocinctus*, effusus, roseus, medio conidiis albopruinosus, globulis sporidiiferis roseis albidisve.

Byssus sanguinea. *Swartz Prodr. p.* 148. Theleph.? sanguinea. *Fl. Ind. Occid. III. p.* 1937. *Kunth Syn.* 1. *p.* 12. Hypochn. rubrocinctus. *Ehrenb. in Hor. Phys. Berl. p.* 84. *t.* 17 *f.* 3. *Fée Crypt. exot. t.* 5. *f.* 1. Spilema roseum. *Raddi.*

Tomentum intense roseum, margine lato nudum, medium farina alba (conidiis) obtectum, in

qua ipsa nidulantur globuli, alii rosei, alii albi; omnes vero e sporidiis floccisque brevibus constant. Tomentum subtus in membranulam coalitum, laeve, adpressum, interdum flavidum. *Ehrenb. E regionibus tropicis, ad cortices, ligna, Lichenes natum, undique reportatur.* (v. s.)

3. *H. nigrocinctus*, effusus, nigrescens, medio conidiis albo-pruinosus, globulis sporidiiferis viridi-albis.

H. nigro-cinctus. *Ehrenb. l. c. t. 17. f. 4. Fée Crypt. Exot. p. 22.* Thelephora? albicans, *Hook. in Kunth Syn. 1. p. 12.*

Tomentum e griseo nigrum, subtus laeve, appressum, tamquam in membranulam coalitum, ut in priori, cui affinis, sed floccorum colore limbum nigrum, deficientibus conidiis, offerentium mox dignoscitur. *Loco et patria praecedentis.* (v. s.)

VI. SCORIAS. Fries.

Syst. Orb. Veg. 1. p. 171.

CHAR. Receptaculum e fibris rigidis botryoso-ramosis contiguis gelatina obvolutis conglutinatisque, versus ambitum compactioribus formatum. Ramuli fibrillosi in sporidia maxima granulosa abeuntes; conidia minuta globosa immixta.

Obs. Genus portentosum, distinctissimum, sed evidenter ex hac regione; *Anthinae*, *Dacrinae*, *Ceratio* — et extra hunc ordinem *Gliotricho* affine. Ad Tremellinas non referatur, cum superficies ubique cribroso-pertusa inter ramulos stipatos nulla membrana unita et tecta sit. Fibrae intus magis discretae, gelatina obvolutae. Totum receptaculum exsiccatum admodum rigidum, scabroso-inaequale, persistens, at humectatum gelatina reviviscit et fungus totus emollitur. Habitus *scoriae* nigrae, unde nomen.

1. SCORIAS *spongiosa.*

Botrytis? spongiosa. *Schwein.! Car. n.* 1311. Podisoma? epiphega. *Schwein.! in litt.*

Fungus admodum grandis, interdum duos pedes latus et longus, admodum rigidus et persistens, opacus, niger; superficie admodum inaequabilis, e fibris magis condensatis solidior (quam basis fungi inter fibras rudes gelatina exsiccata discretas et cerineo-grisea materia, humida gelatinosa, obductas cavernosa), fibrillis parallelis pellucidioribus in granula racemata abeuntibus obsessa. Fungo exsiccato humectato etiam secedunt conidia minuta globosa. In *America boreali frequens in ramis, truncis, radicibus et in ipsa terra prope Fagos nec alibi vere, copiose.* (v. s.).

VII. DACRINA. Fries.

Syst. Orb. Veg. 1, *p.* 172. — *Ic. analyt. ined.*

CHAR. Receptaculum caespititium, in ramulos articulato-constrictos proliferos rigidos, humectatos gelatinosos abiens. Contextus floccosus, conglutinatus. Sporidia globosa, simplicia, superficiem glabram investientia, secedentia.

Obs. Habitus prorsus Dematiorum (ad genus Dematium quoque relatum est ab *Alb. et Schwein.*), at structura, immo vegetatio, fere praecedentis. Ceterum valde abnorme est. Receptaculum sursum incrassatur, ex apice repetito et ob accretiones basi constrictas articulato-proliferum; ramuli juniores guttulam roridam sistunt. *Ad Dacrydium* Link., non Brown, referre tentavi, at si hujus synonymon sit *Myrothecium inundatum* Tod., longe a nostro fungo diversum est. Prima species re ipsa Collemati, v. c. *C. conglomerato* Hoffm affinis est. *Scoriae et Ceratio* propinquum, sed ceterum admodum

recedens, nec *Tuberculariis* in praesente apte subjungendum.

1. DACRINA *fusco-olivacea*, caespitulis subrotundis fusco-olivaceis.

Dematium velutinum. *Alb. et Schwein. Consp. p. 369.*

Caespitulo-minutos, $\frac{1}{2}$—1 lin. latos, subrotundos parum elevatos sistit. Nudo oculo vel lente simplici lustratum e fibris apparet compositus „minutis, erectis, crassis, obtusissimis, lucidis, velutino-nitentibus, brunneofuscis succulentis quasi, interdum nodosis, se invicem sustentantibus.“ *A. S. l. c.* Sub microscopio simplici adhuc Cladosporii aut Stilbi spes restat, at sub composito quam maxime remotum esse genus mox patet. Totus contextus, eximie floccosus, gelatina conglutinatus, floccis tubulosis intricatis. Sporidia, ut in Ascophora juniori, puncta nitida in superficie sistunt, in aqua secedunt pellucida. Color qui in sicco fuscus in rufum vergens, humectatus in pure (et ad lucis intensitatem plus minus pellucide) olivaceum abit. *Ad ligna adusta l. putredine consumta, autumno, passim.* (v. v.) ♃

2. *D. lutescens*, caespitulis effusis lutescentibus.

Caespites haud formati determinatos, sed greges late effusos e ramulis aggregatis; sordide luteis, nudo oculo floccos referentibus. Sub microscopio vero crassiusculi, nodulosi, inaequales, ramulosi; irrigati guttulis aqueis pollentes. Sporidia globosa, opaca. *Ad cortices arborum inter muscos in Helvetia.* Schleicher. (v. s.)

Genus inquirendum, facilè delendum:

EPICHYSIUM. Tode.

Tod. Meckl. 11. *p.* 1. *Nees Syst. p.* 89. ***.**

CHAR. Receptaculum hypocrateriforme, byssino-membranaceum, e floccis ramosis, contextum, determinatum. Sporidia? floccis dendroideo-ramosis areae internae adnatis adfixa, subglobosa.

Obs. Genus ob formam singularem, a qua nomen, maxime insigne; omnibus vero hodiernis Mycologis ignotum videtur. De autonomia a reliquis Fungis nullum dubium, an vero *entomogeneum!*, ut mihi videtur, (cfr. El. Fung. 2. p. 27. obs. 1. Epichysio simile ens) ulterius observandum. Qui dubia de minus notis generibus solvit, ei majorem tribuo laudem, quam nova describenti. Glorior equidem quod plurimos Fungos Todeanos extricare nobis contigerit.

1. *E. argenteum.* Tod. l. c. t. 8. f. 60. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 356. *Nees Syst. f.* 90.

Sessile rotundato-concavum. Cornucopiae forma, fauce obliqua, in fundo umbilicatum, nitidissimum albidum, exoletum fuscescens. *Fimo subimmersum.* (v. ic.)

Obs. Omne fere dubium mihi sublatum est, hoc ens aeque ac *Atractobolum* Tode, *Ascophoras quasdam* etc. Entomogenea esse. Magis ad cautelam, quam examen hoc loco inserui.

VIII. CERATIUM. Alb. et Schw.

Pucciniae spec. *Michel.* Isariae spec. *Hill. Pers.* Ceratium, *Alb. et Schw. Consp. p.* 358. *Nees. Syst.* 1. *p.* 85.

CHAR. Receptaculum varium, subcornutum, mucilaginoso-fluxile, obtectum floccis in conidia collabentibus sporidiisque majoribus inspersis.

Obs. Genus distinctissimum, quasi Oidium in hac serie! Flocci Oidiorum more collabuntur, sed mucilagine mollissima tremula in stroma conglutinata sunt adeo delicatum, ut in statu adulto vel levi tactu in laticem diffluat; in aqua vero expandatur membranaceum et solvatur. Junius tamen firmius, fallacissima saepe *Stilbi* aemula, ut non mirarer, si in hoc statu inter Stilba Auctorum re-

ceptum fuisset. Exsiccatum, mucilagine evanida, decumbens floccosum Sporotrichi aut Oidii collapsi habitu. — Species difficillime limitantur. Vix ullibi magis abundant, quam in silvis primaevis Sueciae roridis, ubi post primas pluvias autumnales truncos coacervatos putridos mira copia obtegunt. Possem e statura et colore mutabili decadem formarum distinguere, at nolui. Duae certae sunt distinctissimae *C. Hydnoides* et *Porioides*, inter has vero longa formarum intermediarum series.

1. *C. Hydnoides*, aggregatum, clavulis subdiscretis aculeos imitantibus, demum candicantibus.

Puccinia, *Mich. gen. t.* 92. *f.* 2. *Hall. Helv. n.* 2208, Byssus fructiculosa. *Fl. Dan. t.* 718. *f.* 2. Tremella hydnoidea, *Jacqu. Misc.* 1. *t.* 16. Clavaria Puccinia, *Batsch. El. Fung. f.* 19. Cl. byssoides. *Bull. Ch. t.* 415. *f.* 2. Isaria mucida, *Pers. Comm. Clav. p.* 100. *Syn. p.* 688. Reticularia Hydnoides, *Wither.* Ceratium, *Alb. et Schwein. l. c. t.* 2. *f.* 7. *Link. diss.* 1. *t.* 1. *f.* 38. *Dec. Fr.* 6. *p.* 11. *Nees Syst f.* 82. *Grev. Crypt. Scot. t.* 168. *Link. Spec.* 2. *p.* 118.

Color albus tantum ab omnibus indicatur, equidem vidi semper crystallino-pellucidum, hyalinum, pulchre aeruginosum, luteum e. s. p. Differentiae formae e situ et aetate non minus fallaces. Forma primaria mihi aggregata (nec caespitosa), simplicissima, subcylindrica, medio vero constricta, apice turgida, subcapitata, pellucida, hyalina, glabra (sub lente tantum e sporidiis apice nigro-punctata); haec vero forma, quam fugax observator *Stilbum* diceret, per noctem servata, ad communem Auctorum formam mutatur, lactea fit generisque more subtiliter velutina et pulverulenta. Frequentius occurrit fasciculata, cylindrica, apice obtuso quidem sed aequali, et plurimis individuis confluentibus bifida et irregulariter divisa. — Subinde integer caespes in truncum communem jungitur, unde *C. pyxidatum* Alb. et Schwein. l. c. *t.* 12. *f.* 9. *Link l. c.* — Possint haec aliaeque ut subspecies distingui, at in omni statu habitu Hydnoideo facillime dignoscitur.

Ad ligna putrida locis humentibus nil vulgatius, aestate madida et primo autumno. (v. v.)

2. *C. aureum*, aggregatum, ramosum, ramulis creberrimis filiformibus aureis.

C. aureum. *Link. diss.* II. *p.* 39. C. Porioides. *Link. Spec.* 2. *p.* 119.

A *C. Porioidi* (var. a. *Alb. et Schwein.*) maxime discrepat et priori colore vario magis affine, sed forma satis diversum videtur. Color etiam hujus expallens albicans. *In truncis pineis putridis silvarum, praecedente rarius.* (v. v.)

3. *C. rubicundum*, in massam mucilaginosam amorpham rubicundam confluens, clavulis in ambitu liberis candicantibus.

C. rubicundum. *Link! Spec.* 2. *p.* 119.

Habitus inter *C. Hydnoidis* et *Porioidis* intermedius, ad illum accedens, circiter ut *C. Porioides* ad *C. aureum*. Massa centralis e sporidiis ex magna parte formata est. Clavulae liberae vix a *C. Hydnoidis* differunt; num itaque ejusdem abnormis status? *Locis et tempore consuetis.* (v. v.)

4. *C. Porioides*, in massam mucilaginosam porosam confluens, poris amplis angulatis, demum radiato-dentatis.

C. Porioides. *Alb. et Schwein. p.* 359. (Laudant simul varietatem colore aureo l. c. t. 2. f. 6. Haec mihi non obvia, potius tamen h. l., quam *C. aurei.*)

Polyporo simillimum, ut primo inventionis momento finxerim novam citati generis speciem, *Hydno gelatinoso* analogam, cum quo recens colore crystallino glauco etiam prorsus convenit, at curatius examen genus mox indicat; servatum abit in lacteum colorem et facile in massam amorpham fluxilem solvitur. Pori pro ratione magni, favosi, 5—8-goni, primo integri, dein in angulis dentes s. cornua priorum exserunt, sporidiis paucioribus adspersa. *Hoc non vidi nisi ad ligna carie prorsus*

consumta abiegna in pinetorum montosorum paludibus sphagnosis dejecta; jam aestate. (v. v.)

ORDO II.
MUCORINI.

Mucedines vesiculiferae et Sarcocephali. *Nees Syst. p.* 81, 87.
Mucorini et Stilboidei. *Syst. Myc.* I. *p. XLIX, XLVII.*
Mucorini. *Syst. Orb. Veg.*

CHAR. Sporidia intra tubum floccorum gignuntur minutissima, dein in apicibus eorum aut ramulorum capitulis collecta, evoluta, nunc gelatina involuta, nunc et saepius vesicula inflata persistente recepta.

Obs. Vesiculae Mucorinorum prope ad peridia Gasteromycetum accedunt, sed e membrana simplicissima, haud contexta, tantum facta sunt et ex apicibus inflatis modo oriuntur absque perfecta metamorphosi. Hinc *peridiola* dicuntur. Ultima duo *Mucorinis* subjuncta genera etiam peridiolis simplicibus instructa videntur et ob externam faciem cum Mucorinis vulgo comparantur. Sporidia quoque Mucorinorum plurimorum more diffluunt, sed floccis vesiculiferis carent (fingas totum floccum in peridiolum inflatum) et peridioli consistentia firmior, hinc potius infimus radius Gasteromycetum theoretice censenda sunt ista genera, nempe *Eurotium* et *Clisosporium*.

AFFINITAS cum Mucedineis tanta est, ut ab iis longe removeri nequeant; adsunt tot formae intermediae, ut limites varia ratione possint proponi. Practico fini aptissimum mihi visum est ad genera distincte et persistenter vesiculifera restringere; sed theoretice excepta, tam *Sporocybe*, *Oedemium* et *Myxotrichum* Byssinorum, quam *Aspergillus*, *Stachylidium*, *Botrytis* Mucedinum, simul comprehenduntur; nam eadem est in his sporidiorum origo, sc.

peridiolum tam fugax et inconspicuum, ut haud facile a reliquis sui ordinis dignoscantur. *Stilbum* in bivio inter hunc et antecedentem ordinem positum est, novae sectionis rudimentum, sed ob sporidia capitata et peridiolo, gelatinoso licet, primitus involuta inter Mucorinos aptius recipiuntur. Per *Stilba* cum Pilacrinis Trichodermaceorum connectuntur, et quo modo cum his connecti possint, in Systematis variationibus ad finem exponendum est. Longe vero metamorphosi perfecta et tota vegetatione remoti sunt Myxogastres, cum quibus Veteres praecipue commutabant.

PATRIA, locus, tempus, duratio, noxa partim cum Byssinis, partim cum Mucedinibus congruunt et sub his, ubi hae rationes puriores prominent, exponenda sunt. Cum Byssinis nempe congruunt Mucorini stipite floccisve vesiculiferis contiguis, solidiusculis etc.; cum Mucedineis autem melior pars floccis vesiculiferis septatis, tubulosis, magis fugacibus.

SYNOPSIS generum, quae in hoc ordine ob fructificationem peridiolo definitam oriuntur plura et evidentiora, quam in sequentibus:

† *Peridiolis terminalibus,*

* *sporidiis subnudis.*

I. STILBUM. Sporidia in capitulum solidum collecta, gelatina involuta. *Flocci in stipitem contiguum solidum conjuncti.*

II. PERICONIA. Sporidia in vesicula inflata globosa (mox) inspersa. *Flocci solidi contigui.*

III. PHYCOMYCES. Sporidia in vesicula inflata pyriformi (mox) instrata. *Flocci tubulosi, contigui.*

IV. ASCOPHORA. Sporidia in vesicula inflata rotundata (mox) inspersa. *Flocci tubulosi, septati.*

** *sporidiis inclusis.*

V. PILOBOLUS. Sporidia in peridiolo globoso indurato dissiliente conglobata. *Flocci tubulosi, contigui.*

VI. HYDROPHORA. Sporidia cum peridiolo, primo fluxili, rotundato in globulum persistentem contiguum conglobata. *Flocci tubulosi, subseptati.*

VII. MUCOR. Sporidia intra peridiolum rotundatum membranaceum dehiscens discreta, mox (in aqua) diffluentia. *Flocci tubulosi, subseptati.*

VIII. DIAMPHORA. Sporidia intra peridiolum operculo deciduo tectum discreta. *Flocci tubulosi, septati, apice bifidi.*

IX. DIDYMOCRATER. Sporidia intra peridiolum geminata crateriformia, ore orbiculari aperta, discreta. *Flocci tubulosi, septati, simplices.*

X. CEPHALEUROS. Sporidia intra peridiola terminalia in apice clavato aggregata discreta. *Flocci tubulosi, contigui, virescentes.*

†† *Peridiolis lateralibus,*

* *in floccis erectis.*

XI. AEROPHYTON. Sporidia minutissima discreta intra peridiola (sporas?), in apicibus ramulorum lateralium clavatis aggregata. *Flocci coenotocii, articulati.*

XII. SYZYGITES. Sporidia conglobata in medio duorum peridiolorum lateralium sessilium in unum coalescentium. *Flocci tubulosi, contigui.*

XIII. AZYGITES. Sporidia conglobata in medio peridiolorum lateralium pedicellatorum, solitariorum, semper discretorum. *Flocci tubulosi, contigui*

XIV. METIDIUM. Sporidia quaterna in peridiolis globosis, ramulos laterales terminantibus. *Flocci solidi, contigui, ramosissimi.*

** *e mycelio ortis, sessilibus.*

XV. EUROTIUM. Sporidia mox diffluentia e peridiolo membranaceo rumpente floccis effusis adnato.

XVI. CLISOSPORIUM. Sporidia diffluentia e peridiolo rigidulo rumpente, e mycelio transformato. *Abnorme.*

I. STILBUM. Tode.

Tod. Fung. Meckl. 1. *p.* 10. *Nees Syst. p.* 88. *Fries Syst. orb. veg.* 1. *p.* 175.

CHAR. Stipes solidus contiguus terminatus capitulo gelatinoso - fluxili involvente sporidia, demum nuda. Capitulum facile deciduum.

Obs. 1. Stipitem, nec fibram aut floccum, dicimus fructificationis fulcrum, nam evidenter contextum est, licet serie contigua in sequentia genera transeat. Genus naturalissimum nolui in plura divellere, licet stipitis structura in diversis speciebus admodum diversa sit, cum fructificatione eximie conveniant omnes *). Haec ex apice stipitis protruditur ut guttula aquosa, mox turbida, dein deci-

*) Nonnullae tamen species capitulo fluxili nondum visae, sed farinaceo tantum, ad genus *Chordostylum* Tod. transitum pandunt. Hujus characterem et speciem primariam hoc loco insero, ut *diligentissime* inquiratur:

CHORDOSTYLUM. Tod. Meckl. 1. p. 37.

CHAR. „Fungus stipitatus tenacissimus, capitulo globoso interne fructificante subdeciduo.“

Obs. Monent *Albert. et Schwein. consp. p.* 112: “ Medio inter Mucoris et Himantiae genus loco positum; ab illo fabricae tenacitate et longaevitate, ab hoc fructificatione mucoriformi magis differre, quam ut cum alterutro conjungi queat. Capitulum fatiscens pulveremque sementivum emittens nos quoque semel bisve conspicati sumus.“ Si planta autonoma, nec mycelium, hujus loci sit. Cfr. quae eximie observat *Nees Syst. p.* 82. Acremonium in summo gradu utique videtur.

dua aut farinacea. Sporidia juniora in centro capituli nidulantur, gelatina cincta, quae exinde pro peridioli specie habenda, cum non in peridium Gasteromycetum explicetur. Stilba vero prodromum sistere Myxogastrium vix dubium est; observantur etiam species totae primitus gelatinosae.

Obs. 2. De loco systematico admodum dissentiunt Auctores. Nec cum Persoonio ad Hymenomycetes ob sporidia in centro evidenter collecta, nec cum Linkio ad Gasteromycetes ob peridiolum imperfectum, mox evanescens, referam. Est in bivio inter praecedentem et sequentem ordinem potius positum; illinc ad *Fusarium*, hinc ad *Periconiam*, *Hydrophoram* accedens. Habitus Mucorinus. — Species numerosae, in vegetabilibus putridis variisque quisquiliis obviae, at cum aegre conserventur specimina incolumia, nullam novam speciem absque icone introductam vellem. Hac ratione omnes novas omisi. *Sporidia globosa*, in infimis simul subfusiformia visa, unde limites Atractii ancipites.

* *Stipite floccoso-contexto, extus plus minus villoso.* Isariis eximie analoga.

1. *S. hirsutum*, capitulo rotundo albo, stipite sursum attenuato ochraceo, pilis erectis hirsuto.

S. hirsutum. *Hoffm. germ.* 2. *t.* 10. *f.* 2. *Pers. syn. p.* 59. *S. strigosum. Myc. Europ.* 1. *p.* 348.

---

1. *Ch. capillare.* Tod. 1. c. t. 7. f. 52. A. S. l. c.

Erectum, sparsum, habitu mucoroideo. Stipites capillares, glabri, unciales, demum elongati et flexuosi, Rhizomorphae aemuli, ex albido spadicei. Capitulum sphaericum, fatiscens, ochroleucum. „*In quisquiliis, vegetabilibus humi jacentibus hortorum, agrorum* etc., *coelo pluvioso in Lusatia minime infrequens.*“ A. S.

Simile mihi haud obviam venisse miror! Cfr. porro *Himantia globulifera* Schum. Saell. 2. p. 444. — Reliquae Todeanae species vix ejusdem generis, *Chord. hispidulum* est mycelium; *Ch. clavaria* Typhulae species; *Chord. byssoides* ex ipso Periconiae species. — Fungi Todeani semper memorabiles, sed descriptiones ad nostri aevi genium non accommodatae.

Majus et firmius; stipes exsiccatione persistens, capitulo deciduo; admodum Isariam refert. Capitulum aequale, hactenus mihi farinaceum tantùm obvium, ut *Chordostylum* crederem, at Hoffmann l. c. diaphanum dicit et specie generis citati primaria non visa hoc loco facile relinquendum. *Semel tantum legi in trunco Betulae, Majo.* (v. v.)

2. *S. tomentosum*, album; capitulo globoso; stipitibus aequalibus tomentosis, mycelio byssino connexis.

S. tomentosum. *Schrad. Journ. Bot.* 1799. *t.* 3. *f.* 1. *Pers. Syn. p.* 680. *Alb. et Schwein. consp. p.* 352. *Grev. Crypt. Scot. t.* 281.

b. stipite glabriusculo lutescente. St. parasit. *Ditm. l. c. t.* 46. *Pers. Myc. Eur. 1. p.* 351.

Loco in Myxogastribus corruptis facillime dignoscitur, at hoc loco varia sub specie se offert, saepe enim mycelium floccosum tantum adest. Semiexplicatum clavatum, facie Isariae; an vero hujus lusum simul sistat *I. microscopica*, pro certo non affirmo. Perfectum genuinum Stilbum, capitulo rorido, stipite tomentoso, b. videtur adultior status. *In Trichiis, Liceis, Cribariis, Dictydiis corruptis frequentissime, aestate, autumno.* (v. v.)

3. *S. byssisedum*, album, capitulo globoso-turbinato, stipitibus aequalibus subramosis mycelio byssino connexis.

S. byssisedum. *Pers. ! Myc. Eur. p.* 347.

Stipes crassiusculus, albidus, primo, subuliformis, adultus capitulo pallescente (numquam limpido, ut videtur) terminatus. Haec species omnino *Chordostylum* videtur. *Ad ligna pinea mucida in Vogesis et simile me in Smolandia vidisse memini.* (v. s. et v ?)

4. *S. villosum*, album, capitulo subrotundo-turbinato, stipite crassiusculo lutescente subvilloso.

Mucor villosus. *Bull. Champ. t.* 504. *f.* 15. (ex Auct., habitus Isariae). Stilb. villosum. *Merat. Par.* 2. 1. *p.* 18. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 913. Stilb. rubicundum. *β. Alb et*

Schwein. p. 354. *e loco.* St. filamentorum *Myc. Eur.* 1. *p.* 352.

Confertum. Stipes persistens, apice quasi tomentosus. Capitulum diaphanum, evanescens. *Ad fimum Cervorum.* (v. ic.)

5. *S. pubidum*, capitulo ovato, stipite inferne incrassato pubescente.

S. pubid. *Tod. l. c. t.* 3. *f.* 21. *Pers. syn. p.* 684.

Dubia, post primum inventorem non observata species. „Capitulum e guttula limpidissima condensatur et a polline ejus superficiem occupante candidum est.“ *In foliis Pini silvestris putridis, Augusto.* (v. ic.)

6. *S. erythrocephalum*, capitulo globoso – turbinato roseo, stipite crassiusculo piloso albido.

S. erythroc. *Dittm. l. c. t.* 45. *Pers. Myc. Eur.* 1, *p.* 348.,

Ad *S. hirsutum* accedit, stipes vero brevior, pilis confertis erectis obsessus, demum glabrescens, rigidus, sursum attenuatus. *In fimetis autumno.* (v. ic.)

** *Stipes vesiculoso-contextus, glaber, rigidus, persistens, plerumque niger.* Analogia cum Sphaeronematibus tenuissimis!

7. *S. rigidum*, capitulo subrotundo ex hyalino lacteo cinereo, stipite filiformi longissimo nigro.

S. rigidum. *Pers. in Uster. Ann.* 2. *p.* 31. *t.* 2. *f.* 2. *Myc. Eur.* 1. *p.* 348. *Syn. p.* 681. *Schum. Saell.* 2. *p.* 240. *Alb. et Schwein. p.* 352.

b. *Dittmar apud Sturm. l. c. t.* 59.

Proximis longe majus, stipite 3 lin. et ultra longo, omnino aequali, eximie setiformi et persistente. Capitulum pro ratione minutum, fugax, nec mihi nigrum obvium, ut icon Dittmari etiam mihi anceps; sed verum quoque *St. rigidum* variat stipitibus ramosis, at non basi fasciculatis. *Pervulgatum ad ligna putrida, fere perenne.* (v. v.)

Obs. St. nigrum *Schrad.-Decand. Syn. p.* 15. huic a Persoonio subjunctum Sporocybes species mihi videtur.

8. *S. piliforme*, capitulo globoso hyalino, stipitibus fasciculatis subulatis rigidis nigris.

S. piliforme. *Pers. Syn. p.* 681. *Alb. et Schwein. p.* 352. *Dec. Fr.* 6. *p.* 16. *Nees Syst. f.* 88.

Colore praecedentis, at vix $\frac{1}{4}$ lin. altum. Capitulum fugacissimum. *Vulgare ad ligna putrescentia et folia pinea, vere.* (v. v.)

9. *S. xanthocephalum*, capitulo globoso luteo, stipite tenui rigido nigro.

St. minimum nigripes. *Tod. l. c. t.* 2. *f.* 19. St. xanthoceph. *Dittm. l. c. t.* 60. *Pers. l. c.*

Statura praecedentis, sed magis sparsim nascens. *In ligno putrido, aestate, autumno.* (v. v.)

10. *S. smaragdinum*, capitulo obovato viridi, stipite rigido concolori, deorsum nigro.

St. smaragdin. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 355. *t.* 1. *f.* 2.

Gregarium, subcaespitosum, mediae staturae (1 lin. altum), totum primo pulcherrime smaragdino-viride, pellucens, sed stipes rigidus sensim nigrescit et capitulo deciduo persistit. *Ad ligna putrida faginea, „abiegna“ etc. locis humidis prostrata, vere, aestate.* (v. v.)

11. *S. aeruginosum*, capitulo globoso aeruginoso, stipite aequali rigido ex albo badio.

S. aeruginosum. *Desmaz. in Ann. d. scienc. nat. Avr.* 1830. *t.* 18. *f.* 1.

Gregarium, lineam altum, praecedenti, ut videtur, peraffine, nam capituli forma in plerisque variat. Sporidia globosa, ut in tota sectione, saepe vero seriata, quod in alia non vidi. *In ramis et foliis putridis, locis humidis umbrosis Galliae. Autumno.* (v. ic.)

12. *S. bicolor*, capitulo subrotundo albido, stipite subulato pallido, deorsum olivaceo-fusco.

St. bicolor. *Pers. Syn. p.* 682. *Alb. et Schwein. p.* 353. St. *ventricosum. Schum. Saell.* 2. *p.* 240. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 352.

Est inter minutissima, at stipes firmulus rigescens, deorsum obscurus, sursum albicans, pellucens.

Capitulum demum obovatum, in colorem olivaceum simul tendens. *Ad truncos et varias mucerdas passim, autumno.* (v. v.)

13. *S. pellucidum*, capitulo subrotundo albido, stipite aequali rigido hyalino.

St. pellucidum. *Schrad. Journ. l. c. p.* 65. *Pers. Syn. p.* 682. *Duby Syn. Gall. 2. p.* 913. St. mycophilum, *Pers. Myc. Eur. p.* 351. *Sommerf. Lapp. p.* 248.

Praecedentibus cognatum, licet totum fere pellucidum, lineam haud attingens. Capitulum ut in aliis demum obovatum. Characteres parum evidentes offerunt Stilba, at habitu facile dignoscuntur. *Ad ligna et fungos putrescentes, autumno.* (v. s.)

*** *Stipes mollis, subgelatinosus, totus pellucens. Sporidia globosa diffluentia.*

14. *S. luteum*, capitulo e globoso ovali aureo, stipite pellucido luteo.

St. minimum, *β. Tod. l. c. p.* 12. St. luteum. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 354. *Pers. Myc. Eur. 1. p.* 354.

Habitu et statura cum subsequente convenire dicitur. *Ad truncum putridum Fagi.* Tode. *In Agarico putrido.* Alb. et Schwein.

15. *S. turbinatum*, capitulo e globoso turbinato stipiteque subaequali pellucido-lutescentibus.

St. turbinatum. *Tod. l. c. p.* 12. *t.* 2. *f.* 20. *Pers. Syn. p.* 683. *Chev. Par. p.* 75. — Junius; St. citrinum. *Pers. Syn. p.* 681. *Ic. pict. t.* 22. *f.* 1.

Dense gregarium, lineam vix attingens. Stipes junior leviter attenuatus, sed adultus aequalis, omnino glaber, basi saepe concrescens. *Ad truncos putridos fagineos, vere.* (v. v.)

16. *S. byssinum*, candidum, pallescens, capitulo e globoso obovato, stipite aequali tenuissimo.

St. byssinum. *Pers. Syn. p.* 683. *Alb. et Schwein. p.* 354.

Admodum confertum, subtile, mucorinum, at satis persistens, coloris nitore insigne. An hujus sectionis, a qua habitu recedit. *Ad Agaricos putridos,* e Persoonio *ad cortices arborum, autumno.* (v. v.)

17. *S. hyalinum*, fasciculare, pellucidissimum, vitreum, candidum, capitulo subgloboso, stipite subulato compresso. *Alb. et Schwein. p.* 353. *t.* 12. *f.* 6.

Majus, $1\frac{1}{2}$—2 lin. longum, candidissimum, pellucore perfectissimo. Stipes basi subbulbosus, sursum magis minusve compressus, vitreus. Capitulum initio aeque pellucens, dein pro more lacteum turbidumque fit; forma ejus saepe exacte sphaerica. *In stipulis, ramulis, foliis putrescentibus dejectis, imbribus praeviis, Junio.* (v. ic.)

18. *S. bulbosum*, sparsum, ex albo lutescens, capitulo sphaerico, stipite attenuato bulboso.

St. bulbosum. *Tod. l. c. p.* 10. *t.* 2. *f.* 17. *Pers. Syn. p.* 632.

Stipes vix visibilis, desinit in bulbum hemisphaericum, demum complanatum, colore in ochraceum mutato. Capitulum album pulvisculo ochroleuco obducitur. *Post pluvias densas in culmis, stipulis foliisque putridis tectis, rarius autumno.* (v. ic.)

19. *S. vulgare*, gregarium, albidum, capitulo globoso, stipite subaequali crassiusculo.

St. vulgare. *Tod. l. c. p.* 10. *t.* 2. *f.* 16. *Pers. Syn. p.* 682. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 353. *Nees Syst. f.* 89. *Dittmar l. c. f.* 58.

Color albus per aetatem in sordide lutescentem abit. Statura minuta semper, sed varia, lineam haud excedens. Stipes basi obsolete incrassatus. Capitulum e sporidiis globosis albis demum pruinosum. *Ad ligna putrida Fagi, Abietis, Betulae commune jove mitiori pluvio.* (v. v.)

Obs. Ex hac grege plures praecipue aegre limitandae formae obviam veniunt. His forsan adscribendum aut potius *e loco* sequenti sectioni: *S. rubicundum*, capitulo ovato compresso, stipite attenuato rubicundo. *Tod. l. c. p.* 11. *t.* 2. *f.* 18. obvium in caudicibus recens caesis fagorum, e quorum succo extravasante emergit. Haec nempe est Atractiorum sedes.

**** *Atractium.* Link. *Subgelatinosa, fugacia, sporidiis oblongis subfusiformibus.*

Habitus prorsus Stilbi, nec species rite distribuere adhuc licuit, quare non separamus. Magis essentialis cernitur in proveniendi modo differentia, quam in sporidiorum figura, genera ceteris paribus meo sensu haud distinguente.

20. *S. gelatinosum*, gregarium, albido-lutescens, molle, fugax, capitulo subrotundo, stipite distincto, sporidiis subfusiformibus.

St. gelatinosum. *Pers. syn. p.* 681. non obstat. Atractium Stilbaster. *Link. diss.* 1. *p.* 8. *t.* 1. *f.* 11. *Nees Syst. f.* 34. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 23. Fusarium. *Link. Spec.* 2. *p.* 106.

Minimum, $\frac{1}{2}$ lin. longum, totum diffluens et evanescens. Pro *St. gelatinoso* semper habui et sub microscopio characteres Atractii monstrabat. Hujus vero sporidia longe minora et indole non parum diversa. Capitulum junius quoque gelatina obvolutum. *In disco truncorum Fagi recentius caesorum, haud raro. Aestate, autumno.* (v. v.)

21. *S. olivaceum*, gregarium, fugacissimum, capitulo globoso olivaceo, stipite aequali nigro, sporidiis fusiformibus.

Atractium olivaceum. *Kunz. et Schmidt, Myc. Heft* 1. *p.* 79.

Minimum, vix $\frac{1}{4}$ lin. altum. Capitulum primo diaphanum luteo-virens, dein turbidum obscure olivaceum, sub aqua in sporidia mox solutum. *Ad ramos putridos humidos. Vere Lipsiae lectum.* —

22. *S. micropus*, gregarium, subsessile, capitulo albido subrotundo-turbinato, mox in sporidia fusiformia collabescente.

St. micropus. *Pers. disp. p.* 39. *Syn. p.* 683. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 354.

Est tandem haec species inter Fusaria et Stilba prorsus intermedia. Stipes capitulo brevior aut aequalis tantum, ceterum concolor. Exsiccatum mox in sporidia collabitur, unde habitus effusus, byssoideus. *In lignis putridissimis squalidis, vere.* (v. v.)

Obs. *Stilbum micans* et *lactum* Pers. Myc. Eur. 1. p. 355. 356. = *Pistillaria micans*. *Stilbum murinum* l. c. p. 353 = *Mucor murinus*, ut facile *St. equinum* l. c. *Stilbum nigrum* Schrad. Pers. l. c. p. 349. = Sporocybes species. *St. aquigenum* Rebent. et Pers. l. c. non ad Fungos pertinet.

II. PERICONIA. Tod.

Tod. Meckl. II. *p.* 2. *Pers. Syn. p.* 686. *ex p.*

CHAR. Flocci solidi, contigui, terminati vesicula (peridiolo) globosa, discreta, inflata; sensim sporidiis inspersis obtecta.

Obs. Floccos stipitem forsan potius dicas; ad sequentium se habet ut generis byssini ad mucedinei. Morphosis ceterum haud satis observata. Specimina, qualia tantum vidi sicca, utique genus a reliquis distinctum monstrant. A sporidiis pulverulentis vesiculam cingentibus nomen imposuit Tode.

1. *P. Lichenoides*, stipite simplici rigido.

P. Lichenoides. *Tod. Meckl.* 2. *p.* 2. *t.* 8. *f.* 61. *Pers. Syn. p.* 686. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 357. *Schwein. Car. n.* 1287. *Dec. Fr.* 6. *p.* 17.

„Fungilli mucoriformes, aggregati, in oculos armatos vix incurrentes. Vesicula exacte globosa et stipes capillaris firmulus, rectus, sensim pulvisculo fusco obteguntur, qui fructescentia peracta primo de stipitis parte suprema, tum de reliqua ejus superficie eodemque tempore de vesicula quoque dejicitur, quo facto fungus argenti instar nitet. Capitulum postea collabescendo coarctatur ad medium, sicque formam sphaericam cum ovali commutat, denique fit rugulosum. Vehementius si concutitur decidit; stipes tum deflectitur, sed numquam decumbit.“ Innascitur ex Todeo maculae (mycelio?) tenuissimae atrae, quae deest in fungo Alb. et Schwein. ceterum prorsus congruo. — E specc. a Chailletio missis vidi fungum a Mucore prorsus, a Phycomycet. minus distinctum. *Ad caules plantarum putridas aestate post pluvias.* (v. s.)

Hujus porro generis, inuente Auctore, *Chordostylum Byssoides* Tod. Meckl. 1. t. 7. f. 53, stipite ramoso debili — in charta humida lectum.

III. PHYCOMYCES. Kunz.

Kunz. Myc. Heft. 2. p. 113. Ulvae spec. *Agardh.*

CHAR. Flocci fistulosi, continui, terminati vesicula (peridiolo) pyriformi, basi articulo discreta, persistente, effundente sporidia oblonga.

Obs. Evidenter genus mucorinum!, etiam a Byssaceis veris defectu gonidiorum distinctum. Flocci validiores, quam in plerisque aliis, sed neutiquam contexti; membranam sistunt simplicissimam, omnino uniformem et similarem! Nec multum a floccis aliorum fungorum recedunt, v. c. *Syzygitis*, *Aspergilli maximi*; *Mucoris rhombispori* eodem nitore gaudent; huic valde affinem censeo Phycomycem. Quod vero extra dubium ponit naturam funginam, est mycelium album effusum mucedineum, ex quo flocci *Phyc. splendentis* surgunt. Quoad fructificationem exacte medium tenet locum inter Periconiam et Ascophoram, eadem est his vesicula ut apparet ectospora. Tantummodo in *Phycomyce nitente* hanc apice umbilicato - apertam vidi. Ob similitudinem cum Phyceis aptissime Phycomyces dictus. Nitor floccorum insignis.

1. PH. *splendens*, mycelio effuso floccoso albo, floccis erectis, sporidiis hyalinis.

E basi mucedinea, e floccis ramosis pellucidis vix septatis sed conidiophoris contexta, late inter corticem coriarium serpente surgunt flocci praelongi (3—4 unciales), stricti, seta equina crassiores, olivaceo - fusci, splendentes, exsiccati magis flaccidi, subcompressi, laevigati. Peridiola nudo oculo ut globuli (*Syzygitis* circiter); sub microscopio pyriformia, inania, demum umbilicato - aperta apparent

Sed aqua adfusa undique motu celerrimo, quasi vivo-mobilia essent, diffluunt sporidia maxima, hyalina, pellucidissima (neutiquam sporidiolis farcta), idque tanta copia, ut non facile intelligatur, quo modo vesicula ea capere potuerit. Haec dein pulchro, at vario ordine circa floccum et vesiculam colliguntur. — Totius ordinis *nobilissima species*; greges floccorum in luce vibrantes, tremuli et splendentes, optica magia spectatorem fere fascinant. *Inter corticem coriarium ad Ronneby Blekingiae detexit* Lindblom. (v. s.)

2. PH. *nitens*, mycelio nullo, floccis decumbentibus, sporidiis flavicantibus.

Ulva nitens. *Ag. Spec. Alg. p.* 415. *Syst. Alg. p.* 46. Phycomyces nitens. *Kunz. l. c. t.* 2. *f.* 9. *Link Spec.* 1. *p.* 48.

Simillimus priori; sed mycelium non observatum. Flocci in caespitem intricatum congesti, paulo crassiores, olivacei, oleoso-nitentes, sicci arctius collabentes, subundulati. Sporidia minora. Neutra species aquam resorbet. *Ad trabes et muros in officinis Oleae in Finlandia, Saxonia.* (v. s. a Schubert miss.)

IV. ASCOPHORA. Tode emend.

Ascophorae spec. *Tod.* Ascophora. *Alb. et Schwein.* — *Link. diss.* 1. *p.* 28. *Nees Syst. p.* 83. *Grev. Crypt. Scot. t.* 269. *Mucoris* etc. spec. *Auct.*

CHAR. Flocci fistulosi, septati, terminati vesicula subrotunda (peridiolo) collabescente, cui inhaerent sporidia nuda, subrotunda, adglutinata

Obs. Ex meis observationibus, cum Cel. Grevillei omnino congruis, *Asc. Mucedo* proxime ad Phycomycen, quoad fructificationem, accederet. Vidimus enim vesiculas juniores subglobosas, omnino integras, in quarum superficie sporidia ut puncta nitentia apparent, dein magis liberantur, clavam

obtegunt, demumque secedunt. Vesicula vero omnino inanis visa est et basi collabescendo subcampanulata. Auctore vero Dittmaro apud Link peridiolum primo sporidia includens dehiscit, reflectitur et, Aspergilli more, inversum in clavulam contrahitur. Facile crederem Auctorem aliam speciem ante oculos habuisse; vesiculae enim clavatae basis cum flocco omnino contigua visa est. Utcumque sit, a Mucore diversum constituat genus, Aspergillis propius, quam Mucoribus. — Ex obs. *Dittmari* hoc genus cum *Sporodina* Link omnino conflueret, sed haec adeo luculenter Aspergillis accedit, ut non facile in alia grege quis quaereret, cum *Ascophora* vesicula inflata persistente evidenter Mucorina. — Vesiculiferas eadem ratione multas vidi Botrytideas, v. c. *Stachylidium*, *Verticillium*, quas hinc ex alio principio etiam Mucorinis adnumeravi, ex praesentis vero operis magis practico fine inter Botrytideas, quas conferas, recipio. Nomen ab ἀσκος et φερω. (Species plures olim addendae.)

ASCOPHORA *Mucedo.*

Mucor Mucedo. *Auct. pro parte.* — Var. α. *Pers. Syn. p.* 201. Mucedo grisea. *Pers. disp. p.* 14. Ascophora Mucedo. *Tod. Meckl.* 1. *p.* 13. *t.* 3. *f.* 22. *Alb. et Schwein. Conspect. p.* 356. *Link Obs.* 1. *p.* 28. *Nees Syst. f.* 80. *Grevill. Crypt. Scot.* 1. *p.* 269. eximie. Mucor ascophorus, *Link Spec.* 1. *p.* 85. (in syn. saltim cum M. Mucedine commixtus.)

Habitu Mucoris, sed distinctissima! Mycelium pro loco diverso vario modo luxuriat, lanaeforme, etiam expansum, album, vel e conidiis copiosis adspersis aeruginoso - glaucum. Vesicula terminalis primo globosa, dein ovalis, demum collapsa subcampanulata, ex albido l. caesio nigrescens; habeo quoque lutescentem etc. Superficies vesiculae primo nuda est, e sporidiis emergentibus? punctulata, dein sporidiis obtecta granulosa. Cave ne in hoc statu pro *Aspergillo* habeas. — Vidimus massae sporaceae motum intra floccos. *Ad corpora putrescentia frequens, per annum.* (v. v.)

Obs. 1. Ante oculos habeo specimina recentia in ligno raso putrescente *Caesalpiniae echinatae*, submerso, in olla neglecto, enata. Tantum in luce lignoque emerso fructificationem edit densissimumque conidiophorum mycelium, colore aeruginoso-glauco; quod pro *Sporotricho* non potes non agnoscere. Profundius inter lignum serpens lanosum, album, laxum, absque conidiis, *Racodium* s. *Hypham* Auctorum sistit. In lateribus vasis omnino ut *Byssocladium* expansum est; et examinanti mihi sub microscopio ne levissima quidem differentia a *Byssocl. fenestrali* se prodidit. Denique in ipsa aqua porrigitur ad Hygrocrocem, Leptomitum e. s. p. Haec tantum prodromi instar ad stupenda, quae de morphosi et anamorphosi Mucedinum enarranda sunt.

Obs. 2. Sive peridiolum primarie, sive secundarie ectosporum censeas, transitum naturalissimum inter mucorinas gymnosporas (hymeninas) et angiosporas sistit. *Mucorem roridum* Bolt., vulgo ad *Pilobolum roridum citatum*, pro Ascophora potius habendam censet Link. Analogum est in sequente subdivisione *Cephaleuros*, in quo sporidia, jam in Ascophora sporidiola offerentia, in peridiola vera abeunt. Eadem fere est ratio *Aërophyti* inter Mucorinos pleurocarpos. Tandem extra Mucorinam familiam *Aspergillo* perquam affine est.

Reliquae ASCOPHORAE Todei vel dubiae (*Asc. fragilis*, conferta, capitulo sphaerico circumscisso, stipite setaceo brevissculo, *l. c. p.* 14. *f.* 23. — in carne elixa) vel peregrinae, nempe n. 3. *Asc. Stilbum* — Hydrophora: n. 4. *Asc. ovalis* (A. perennis *Pers. Syn. p.* 685.) et n. 5. *Asc. cylindrica* = ovula insectorum. n. 6. *Asc. limbiflora* = status Cladosporii. n. 7. *Asc. disciflora* = Phragmidium.

V. PILOBOLUS. Tode.

Cfr. S. M. II. p. 308.

CHAR. Flocci simplices, contigui, roridi, adulti superne ventricosi clavati; terminati peridiolo indurato globoso, discreto, dissiliente, sporidia includente globosa.

Obs. Examinatis Hydrophorae variis speciebus, quae non habitu tantum et loco cum Pilobolo prorsus conveniunt, sed etiam peridiolis eodem modo induratis, non possum non hoc aptissimo loco inserere genus jam in Vol. II. tractatum. Unica differentia ab Hydrophora pendet e flocco sursum intumescente, unde peridiolum liberatum dissilit. Tam floccus, quam peridiolum est membrana simplex (indeque non Gasteromyces), sed in statu primario *Stilbum* magis refert, cujus in secunda Mucorinorum sectione analogon. Eadem ratione ac Stilbum maxime angustatum Sphaeronema diximus; hoc sit *Thelebolus* mucorinus; Thelebolus enim est e tribu Cytisporearum. Cf. ceterum *S. M. l. c.*

1. *P. crystallinus*, floccis apice demum clavatis obovatis, peridiolo hemisphaerico *l. c.*

Synonymis l. c. addatur: M. urceolatus *Sowerb. t.* 300. De singulari motu in guttulis vide *Ehrenb.* in *Kunz et Schmidt. Myc. Heft* 2. *p.* 67. — *Fimum incolit; in larva Sphingis Atropos legit* Scopoli. (v. v.)

2. *P. roridus*, floccis elongatis filiformibus, apice globosis, peridiolo punctiformi.

Hic sporidiis circa apicem flocci vesiculosum effusis esset Ascophora! Videtur potius praecedentis statum, quam hunc ante oculos habuisse *Sommerf. Lapp. p.* 236. Habitu, fugacitate et peridiolo minimo satis differunt. *In fimo.* (v. v.)

VI. HYDROPHORA. Tod.

Tod. Fung. Meckl. 2. p. 5. Mucoris et Stilbi spec. Auct.

CHAR. Flocci tubulosi, erecti, subseptati (roridi in statu juniori), apice aequales, terminati capitulo primo crystallino aqueo, dein turbido, demumque indurato, (floccis fugacibus) persistente, sporidiis conglobatis.

Obs. Habitus Mucoris, fructificatio junior Stilbi, adulta Piloboli, unde de plurimarum specierum sede dubitatur, sed omnino genus proprium constituunt. *Varias species per omnes aetates analytice examinare licuit.* Flocci plurimorum in statu juvenili cum peridiolo limpido tacti facile diffluunt. Locus praecipue in stercoratis. A *Stilbo* recedit: floccis simplicibus, tubulosis; minime in stipitem contextis, sporidiis gelatina quidem involutis, non vero fatiscentibus, sed in globulum induratis. A *Mucore* distat: peridiolis primo crystallinis aquosis, haud membranaceis vel dehiscentibus, sporidiis haud discretis, sed cum peridiolo conglobatis persistentibus. A *Pilobolo:* floccis aequalibus, peridiolo haud dissiliente. Floccos omnes, etiam steriles, si adfuerint, vidi erectos. Nomen ab ὑδωρ et φερω aptissimum.

1. *H. fimetaria*, laniformis, floccis fertilibus ramosissimis albis, peridiolis demum deplanatis subtus umbilicatis nigricantibus.

Mucor fimetarius. *Link Obs. 1. p. 29. Spec. 1. p. 80*, a quo M. truncorum *l. c. p. 81.* peridiolis fuscis tantum diversus videtur. — *Duby Syn. Gall. 2. p. 914. t.*

Latos efformat caespites, 1—2 lin. altos, lanam candidissimam referens, in qua peridiola nigra statim conspiciuntur. Flocci fertiles a reliquis vix discreti; illis evanidis peridiola diu persistunt. Spora (sporidia conglobata) globosa. *Link.* — Omnia cum genere bene conveniunt, sed status primarius non

videtur lectus. *Circa Rostochium lecta tantum in stercore vaccino*; M. truncorum *ibidem in truncis mucidis.*

2. *H. stercorea*, laniformis, floccis simplicibus longissimis fugacibus albis, peridiolis sphaericis e flavo demum nigris.

H. stercorea. *Tod. Meckl.* 2. *p.* 6. Mucor stercoreus. *Link Spec. I. p.* 90. — et in carne: Lycogala. *Hall. helv. n.* 2145. Mucor. *Linn. Suec. n.* 1285. M. aquosus. *Mart. Erl. p.* 362. *Link Spec.* 1. *p.* 88.

Caespites maximi et flocci longissimi (1—2 unc. et ultra) totius generis forte ob solum (vulgo fluxile) feracissimum, at simul delicatissimi, ut vel tacti flavescant et diffluant. Floccis fertilibus immixti sunt steriles conformes. Illi primo *guttula flavescente* terminantur (et in hoc statu oculos allicit), dein vero turbida. Floccis vero collabescentibus in tenerrimum prostratum mycelium, nudo oculo vix conspicuum, sed sub microscopio *Sporotrichum* referens conidiis abunde adspersis (tota haec metamorphosis cum *Ceratio Hydnoide* marcescente eximie analoga est) — globuli reperiuntur indurati, nigri, persistentes, fere Piloboli. Hi globuli superficie inaequali e sporidiis minimis conglobati sunt, ut ne in aqua quidem diffluant, nec peridiolum discretum sub microscopio discerni potest. *In merda humana; totius ordinis circa Lundinum vulgatissima species, autumno nebuloso. In carne humana* Haller; *in Falcone in aqua macerato.* Martius. (v. v.)

3. *H. tenella*, floccis aggregatis simplicibus tenellis fugacibus albis griseisve, peridiolis sphaericis e lacteo demum nigris.

Mich. gen. t. 95. *f.* 2. omnino convenit, etiam loco, sed sparsus pingitur. Hydrophora tenella. *Tod. l. c. p.* 6. Mucor tenellus. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 111. *Pers. Syn. p.* 202. *Schum. Saell.* 2. *p.* 237. *Link. Spec.* 1. *p.* 89. (Certe non Mucor Aspergillus. *Scop.*)

Praecedenti affatim cognata, haud rara species, sed in statu primario hactenus tantum observata, in quo levissimo tactu diffluit. Flocci omnino sim-

plices, paucas lineas alti, pellucidi, albidi; ob summam eorum tennitatem peridiolum ipsius gravitate pendulum fit. Si porro sponte explicatur, flocci flaccescunt, fere evanescunt, sed globuli minimi ut in priori persistunt. *In stipulis, culmis gramineis etc. praecipue in sterquiliniis, autumno seriori.* (v. v.)

4. *H. Mucerdae*, floccis sparsis simplicibus abbreviatis albis, peridiolis subrotundis inaequalibus carneis.

Clavaria Mucerdae. *Schum.! Saell.* 2. *p.* 408. Stilbum. *Fl. Dan. t.* 1852. *f.* 3. Stilbum lejopus. *Ehrenb. Ber. p.* 24. *Pers. Myc. Eur. p.* 355. non obstat.

Haec cum sequentibus morphosi minus praecipite, floccis minus fugacibus brevibus ($\frac{1}{2}$—1 lin. long.) firmulis ad Pilobulum et Stilbum habitu deflectunt, sed stipites e simplicissima membrana tubulosi, vix septati, hinc flocci dicendi. Pilobolorum quoque et Mucorum more manifeste sensim elongantur, quod non Stilbi; ceterum primordiales hujus et priorum sat similes. Peridiolum primo limpidum, dein turbidum, tandem induratum (nec fatiscens, hinc non Stilbis, sed Clavariis adnumerat *Schumacher*); an ulterius mutetur ignoramus. *Gregatim obducit fimum, etiam equinum, emaceratum in paludosis, autumno, raro.* (v. v.)

* *H. equina*, minutissima, piliformis, pellucida, peridiolis subovalibus ex albido sublateritiis, demum turbidis.

Stilbum equinum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 353. ex quo? Ascophora Stilbum. *Tod. Meckl.* 1. *p.* 14. *t.* 3. *f.* 24. (Hydrophorae genus tum nondum distinxerat, simulque ut magis adultum observatum ab Auctoris de Hydrophora idea recedens.)

Sequenti ex Auctore proxima; cum ipsa mihi sit ignota et coloris mutationibus incertis ut autonomam speciem non propono.

5. *H. murina*, floccis sparsis curtis simplicibus persistentibus albis, peridiolis sphaericis luteis demum opacis.

Mucor murinus. *Pers. Syn. p.* 201. *Albert. et Schwein. Conspect. p.* 111. *Link Spec. 1. p.* 91. Stilbum murinum. *Ehrenb. Ber. p.* 13. *Pers. Myc. Eur. p.* 353. Mucor fulvus. *Sowerb. t.* 400. *f.* 4.

Statura et magnitudo praecedentis, cui admodum affinis. Flocci contigui, demum lineam longi, persistentes. Capitulum junius molle ut Mucor, dein turbidum, sporidiis conglobatis. *Lecta in fimo murino, passerino, etiam mihi quondam obvia, autumno seriori.* (v. v.)

6. *H. minima*, floccis sparsis simplicibus rigidulis lutescentibus, peridiolis ex ovato globosis crystallinis. — —

H. minima. *Tod. Meckl. 2. p. 5. t. 8. f. 65.* Mucor? Hydrophora. *Pers. Syn. p.* 202. *Nees Syst. p.* 87. *f.* 77. Mucor minimus. *Link Spec. 1. p.* 89.

Tam pusilla, ut nudo oculo plane se subtrahat. Flocci guttula aquea limpidissima terminati. Fungillus per septimanas integras nullam mutationem visibilem subit, tum vero globulus (induratus) contabescere incipiens in medio magis magisque coarctatur, usque dum plane evanescat. Vidit Tode peridiolorum verticem saepissime flavedine pergrata tinctum, quam sporidia fuisse suspicatur. *Legit* Tode *in ramis exsiccatis et decorticatis, praecipue Fagi aestate post pluvias.* (v. ic.)

7. *H. Fimbria*, minima, floccis sparsis simplicibus persistentibus albis, peridiolo globoso opaco.

Mucor Fimbria. *Nees Syst. p.* 82. *f.* 78. *Link Spec. 1. p.* 91.

Vegetabile prorsus microscopicum. Sporidia, conglobata forsan, non discernenda, quare huic generi adscripsi. — Mihi quidem obvium fuit, at haud examinavi. Videtur ex hac orta *Sphaeria trichina* Pers. in Sph. stricta; forte sistit pilos *Sphaeriae barbirostris* Dufour; manet tamen haec aliis notis distincta. *In ostiolis Sphaeriarum Ceratostomarum, vere et autumno.*

VII. MUCOR. Mich. ex em.

Mich. nov. gen. pl. p. 215. *Linn. et Auct. pro parte.* — *Link.* — *Nees Syst. p.* 81. Vix separanda e floccorum ramificatione varia distincta genera: *Rhizopus* Ehrenb., *Thammidium*, Link. *Thelactis* Mart.

CHAR. Flocci tubulosi, subseptati, fertiles erecti, apice aequales, terminati peridiolo membranaceo dehiscente (raro diffluente), includente sporidia discreta.

Obs. Mucor est nomen Romanum harum et reliquarum affinium stirpium, diversis temporibus in libris systematicis diverso limite circumscriptum. *Michelius* primus ad species vesiculiferas entosporas restrixit, admiscens modo status Emboloideos (Mucor n. 3, 4.) Gasteromycetum. *Linnaeus* ad Mucorinos et Botrytideos non tantum extendit, sed etiam ad Calicieas (*species perennes*), mucilaginem Gasteromycetum, Erysiphen, Chlorococcum (*Mucor viridescens* Linn. Mant. p. 313); et Filius ipsius insuper Coryneliam (*M. clavatus* Linn. fil. Suppl. p. 453) admiscuit. Hoc modo limitibus, magis magisque vagis, fluctuavit genus, donec *Tode*, *Persoon*, *Link* etc. justo circumscripserunt. *Ascophora* Tod. luculenter mihi diversa videtur; etiam *Hydrophora* Ejusd. genus naturale sistit. Mucores demum deliquescentes ab his longius removentur, quam membrana persistente dehiscentes. Sunt quidem juniora peridiola subinde aquosa in veris Mucoribus, at reliqua morphosis luculenter diversa. — Sunt Mucores plantae e statione admodum mutabiles, praecipue domestici, quorum multos, silvaticos fungos praecipue quaerens, vivos parum examinavi. Conferas igitur velim *Link Spec. l.*, qui species argutius distinxit et plenius descripsit. — Fructificatio in *Rhizopodio*, *Thelacti* et *Thammidio* cum Mucore omnino convenit.

* *Floccis sterilibus lanaeformibus* (albis), *fertilibus ramosis.*

1. *M. ramosus* * *rufus*, laniformis, floccis fertilibus racemoso-ramosis, peridiolis globosis e pallido rufo-fuscescentibus nigrisve.

M. ramosus. *Bull. Champ. p.* 116. *t.* 480. *f.* 3. *Dec. Franc.* 2. *p.* 248. *Duby Syn.* 2. *p.* 914. Mucor rufus. *Pers. Syn. p.* 200. *Link Spec.* 1. *p.* 81.

Caespites format sat expansos. Oculo nudo jam peridiola et floccorum fertilium divisiones conspiciuntur. Peridiola sphaerica, primo alba et diaphana, tum rufescentia, tandem fusca. Sporidia globosa, diaphana, fusca. *Link. l. c. In fungis et fructibus putridis.* (v. ic.)

* *M. flavidus*, laniformis, floccis fertilibus racemoso-ramosis, peridiolis globosis laevibus e lutescente griseis nigrisque.

Mucor stipite ramoso-racemato. *Schmid. ic. et anal. III. p.* 203. *t.* 52. *f.* 2. M. flavidus. *Pers. Obs. Myc.* 1. *p.* 95. *t.* 5. *f.* 5. 6. *b. Syn. p.* 199. *Nees Syst. f.* 76. *Link Spec.* 1. *p.* 83. et Auct.

Nil omnino a praecedentis descriptione differt praeter colorem peridioli, sed exstat utriusque status senilis nigrescens non distinguendus et *Muc. caninus* certe utriusque colore variat; hinc differentia nimis dubia. Color Mucorum ex aetate et loco nimis variat, ut differentias acutas haud offerat. Sporidia omnino praecedentis. *Locis consimilibus, autumno.* (v. v.)

2. *M. Iuglandis*, laniformis, floccis fertilibus ramosis brevibus, peridiolis globosis flavis demum verruculosis.

H. Juglandis. *Link Spec.* 1. *p.* 82.
b. peridiolis cinereis.

Caespitibus minutis, vix lineam altis stipitibusque dichotome divisis a praecedente differt. * colore tantum recedere videtur, hinc non distinxi. Loco uterque convenit. *In nucleis Iuglandis rancidis.* (v. s. ab Nees ab Esenb. miss.)

3. *M. pygmaeus*, laniformis, floccis fertilibus ramosis brevibus, peridiolis globosis minutis laevibus fuscis nigrisve.

M. pygmaeus. *Link Spec.* 1. *p.* 83. M. carnis *l. c.*, vix separare valeo. Ipso inventore annuente formae videntur:
b. gracilior. M. gracilis. *Link l. c. p.* 82.
c. peridiolis ferrugineis. *M. ferrugineus.* l. c.

Statura minuta, floccis facile collabescentibus et loco a praecedentibus discrepat. Vidi peridiolis olivaceis, fuscis, nigris; varietatem ferrugineam *Mucor. caninus* simul offert. *In cibariis corruptis, v. c. carne.* (v. v.)

Speciem praecedentem nunc in pastis e farina avenacea confectis copiose observo colore griseo, fuscescente, olivaceo etc., eodem loco eximie variam. Flocci lana pygmaea, griseo-fuscescente vulgo, matricem late obducunt. Stipes ad typum *M. ramosi* divisus, sed ramuli altiores sunt, quam ramus primarius. Peridiola sub lente simplici alba l. grisea, sub micr. comp. vero opaca, fere nigra. Sporidia mox diffluunt et circa peridiolum congeruntur, fere Ascophorae more. Suo loco *M. Mucedine* praecocior, qui post aliquot dies primum emergebat.

4. *M. albovirens*, laniformis, floccis fertilibus subramosis, peridiolis globosis laevibus albicantibus.

M. albovirens. *Fries Obs.* 1. *p.* 209. *Link Spec.* 1. *p.* 91. M. terrestris. *Link l. c. p.* 91. non obstat.

Ab omnibus recedit peridiolis e glauco albicantibus. Deorsum virore saepe suffusus, ut videtur peregrino, nam incolit *fungos lignosos, putridos etc. virore imbutos* — M. terrestris *in Confervis effoetis* Link. *Autumno.* (v. v.)

** *Floccis fertilibus vage divisis, sterilibus in pannum tomentosum dense contextis.* Habitus peregrinus, s. d. Racodii.

5. *M. fodinus*, stuppeo-tomentosus, fuscus, floccis fertilibus vage divisis, peridiolis globosis.

Byssus fodinus. *Dec. Fr.* 6. *p.* 10. Racodium fodinum, *Schleich.! — Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 68. Dematium. *Chev. Par. p.* 78. Mucor. *Link Spec. p.* 84.

Adeo facie externa diversus, ut merito suam sectionem efficiat. Tomentum sistit crassum, molle, pannosum, e floccis longis septatis pallide aut fulvo-fuscis dense intricatis contextum. Flocci fertiles haud discreti, simplices et vage divisi. Peridiola pro ratione minuta, omnino generis. *In cellis Galliae, fodinis salis in Helvetia.* (v. s.)

*** *Floccis fertilibus simplicibus vix septatis, sterilibus effusis* (albis.)

6. *M. Mucedo*, byssinus, floccis fertilibus simplicibus, peridiolis sporidiisque globosis, demum nigrescentibus.

Mucedo. *Malp. veg. Par. t.* 28. *f. A. B.* Mucor vulgaris. *Mich. gen. p.* 215. *t.* 95. *f.* 1. ob sporidia e peridio rupto effusa (nisi ob placentam f. H. M. clavatus) M. Mucedo. *Linn. Spec.* 2. *p.* 1655. *Alb. et Schwein. p.* 256. *Sowerb. t.* 378. M. sphaerocephal. *Bull. Champ. t.* 480. *f.* 2.

b. minor. M. Mucedo. *Bolt. t.* 132. *f.* 1. Link *Spec. l. p.* 85.

c. tenuis, M. tenuis. *Link l. c. p.* 86.

Cum *Ascophora Mucedine* vulgo commutatur, ut synonyma plura antiquorum distribuere non liceat. Facile dignoscitur mycelio tenui byssino, peridiolis minoribus semper globosis et entosporis persistentibus, l. ruptis sporidia effundentibus. Statum omnino variat. *In variis corporibus putrescentibus, v. c. pane.* (v. v.)

7. *M. caninus*, byssinus, floccis fertilibus simplicibus, peridiolis lutescentibus ferrugineisve sporidiisque globosis.

M. caninus. *Pers. Syn. p.* 201. *Obs. Myc.* 1. *p.* 96. *t.* 6. *f.* 3. *Nees Syst. p.* 247. *Grev. Crypt. Scot.* 305. *Sommerf. Lapp. p.* 247. et Auct. *Desmaz. exs. n.* 402.

A priori omnino distinctus. Flocci fertiles longiores, primo stricti, dein laxi. Peridiola dein obscuriora, at non nigrescentia, rupta sporidia discreta effundunt, hinc ab *Hydrophora stercorea* diversa. *In*

mucerdis, tempestate pluviosa, praecipue brumali. 7. v.)

8. *M. oosperus*, byssinus, floccis fertilibus subsimplicibus, peridiolis globosis albicantibus, sporidiis oblongis. *Link l. c. p.* 84.

Fortasse cum praecedente confunditur. Flocci fertiles parum eminent. Aqua admota peridiolum statim dissilit (cfr. *Verticill. tenerum*) sporidiaque oblonga effundit. *In merda canina exsiccata.*

9. *M. fusiger*, byssinus, floccis fertilibus simplicibus, peridiolis globosis ex hyalino nigris, sporidiis fusiformibus.

M. rhombospora. *Ehrenb.! Ber. p.* 93. M. fusiger. *Link Spec.* 1. *p.* 93.

Caespites hyalini, siccati olivacei, sublanati, nitentes. Ab omnibus eximie differt sporidiis maximis fusiformibus, utrinque obtusatis, ut rhombo proxima dixerit Ehrenberg, demum opacis. *In fungis putrescentibus. Berolini lectus.* (v. s.)

10. *M. clavatus*, byssinus, floccis fertilibus simplicibus, intra peridiolum fuscum nigrumve clavatis, sporidiis globosis. *Link l. c. p.* 92.

Singularis columella intra peridiolum, quod aqua adfusa dissilit. — Duas peraffines species notat summus harum stirpium investigator; altera est *M. globifer*, statura minori, sporidiis quibusdam conglobatis, hinc majoribus (an junior?); altera est *M. lutescens*, peridiolo lutescente. *In pyris putridis.* (v. v.)

11. *M. stolonifer*, byssinus, floccis fertilibus simplicibus, basi stolones radicantes emittentibus, peridiolis olivaceo-nigris sporidiisque globosis.

M. stolonifer. *Ehrenb.! Ber. p.* 25. *Link Spec.* 1. *p.* 92. Rhizopus nigricans, *Ehrenb. Nov. Act. Nat. Cur. X. p.* 198. *t.* 11.

Habitus praecedentium, sed flocci fertiles magis fasciculatim juncti, breviores, sicci olivacei. Adolescentibus peridiolis flocci fertiles basi enitun-

tur flocculos radicantes, quo transitus ad Thelactin evidens; sed omnes hae differentiae mere e systemate vegetativo sumtae ad genera vix sufficiunt. *In ramis betulinis foliisque Vitis putridis, autumno.* (v. s.)

12. *M. nigrescens*, byssinus, floccis fertilibus simplicibus, peridiolis fusco-cinereis sporidiisque globosis. *Schum. Saell.* 2. *p.* 237.

Singularis certe proventu in foliis vivis, in quibus maculas determinatas occupat. Ceterum hanc variasque sub excursionibus dissitis obvias formas satis explorare non licuit. *In ramulis et foliis Rhamni Frangulae, autumno.* (v. v. Solberget prope Wexiö.)

**** *Floccis fertilibus monocarpis, sed inferne ramulos apice vesiculiferos exserentibus.*

Obs. Quando ramuli irregulares, genus *Thamnidium* Link, quando verticillati, *Thelactin* Martius constituunt. Has vegetationis differentias genera, meo sensu, non constituere fateor. Unica Thamnidii species Europaea est, et priori sectione proxima. Thelactes vero omnes Brasilianae sunt et sequenti sectione proximae. Alii flocci steriles, quam ramuli vix adsunt; hi evidentissime mycelium sistunt v. c. in *Thel. coccinea.* Vesiculae terminales neutiquam sporidia videntur. „Flocci declinati et radicum munere fungentes apice in bullas minimas ampliati, quae quasi peridiolorum non evolutorum rudimenta" *Mart.* Similes in *Erysiphe myrtillina* observantur. In ipsa fructificatione nulla differentia et transitus ad Mucores evidens.

13. *M. elegans*, floccis aequalibus sursum simplicibus, inferne flocculis vage ramosis sterilibus penicillatis, peridiolo sporidiisque globosis.

Thamnidium elegans. *Link Obs.* 1. *p.* 28. *f.* 45. *Spec.* 1. *p.* 99. *Nees Syst. p.* 81. *f.* 75. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 24.

„Flocci 2—3 lin. alti, inferne ramosissimi, ramulis brevibus divaricatis." Link. Omnes Linkii

iconem tantum repetunt, nimis regularem. Qualem vidi, facile crederem floccos laterales accidentales esse, eandemque plantam l. analogum statum Aspergilli sistere *Moniliam albicantem*. Pers. Myc. Eur. I. p. 30. Peridia dehiscentia, fugacia optimi Mucoris. *In colla exsiccata.* (v. v.)

14. *M. coccineus*, floccis aequalibus simplicissimis, fertilibus surgentibus e floccis basi verticillato-radiantibus apice vesiculiferis, peridiolo elliptico coccineo.

Thelactis coccinea. *Mart. Nov. Act. Ac. Cur. X. p. 509. t. 46. f. 7.*

Laxe coaggregatus, sequentibus major, 5—6 lin. longus. Flocci omnino nudi, 4—6 — septati, ipsa basi tantum ramulis 5—8 flexuosis instructi; apice vesiculiferi; vesiculis cum flocco ipso contiguis, ut sporidia esse nequeant. Sporidia globosa, mediae magnitudinis. Haec nec a veris Mucoribus, nec a sequentibus separari potest. Largis caespitibus *supra caules herbaceos plantae fluitantis in Brasilia.* (v. ic.)

15. *M. violaceus*, floccis aequalibus medio basique ramulis verticillato-radiantibus auctis, peridiolo oblongo violaceo.

Thelactis violacea. *Mart. l. c. p. 508. f. 6.*

Acervi laxi, sparsi, 2 lin. alti. Ramuli 8—12 in quovis verticillo, breves, tenerrimi. Sporidia globosa minutissima. *In foliis putridis arboris Brasiliensis.* (v. ic.)

16. *M. virens*, floccis basi dilatatis verticillatis, medio ramulis duobus oppositis, peridiolo conico viridi.

Thelact. virens. *Mart. l. c. f. 5.*

Densissime coacervatus, sed acervi minimi sparsi. Flocci inferne conico-dilatati, e supremo septo ramulos binos tenuissimos proferentes, erectiusculos; baseos vero radiis arcu in foliorum

concavitates declinatis. *In foliis Ari cujusdam putredine correpti in Brasilia.* (v. ic.)

17. *M. flavus*, floccis ad basin et septum infimum verticillatis, septis superioribus bullatis, peridiolo globoso flavo.

Thelact. flava. *Mart. l. c. p. 507. f. 4.*

Densissime coacervatus, caespitibus suborbicularibus diametro unguem ad pollicem usque aequantibus, tandem confluentibus, floccis strictis quadriseptatis, 3 lin. altis. Septa duo superiora in bullam ellipticam minimam dilatata, inferiora ramulis quaternis arcuato-cernuis. *In foliis Schousboae coccineae putridis aquae innatantibus Brasiliae.* (v. ic.)

***** *Floccis uniformibus, omnibus fertilibus simplicissimis septatis.* Laete colorati, tropici.

18. *M. aureus*, floccis simplicissimis 2—3 septatis aureis, peridiolis globosis aureis. *Mart. l. c. p. 506. t. 46. f. 3.*

Caespites parvuli, suborbiculares, convexi, substantia tenaciori quam in congeneribus. Flocci stricti, breves, aequales. Peridiolum pro ratione magnum, sporidiis magnis farctum, plerumque a medio fissum; tunc diffluens. *Supra ligna emortua inque caulibus Carludovicarum Brasiliae.* (v. ic.)

19. *M. cyanocephalus*, floccis simplicissimis quaternato-septatis erectis albis, peridiolis ellipticis pallide coeruleis. *Mart. l. c. p. 505. f. 1.*

Flocci 4—5 lin. longi, ob septa quaternatim approximata obscuri, basibus paululum dilatatis satis tenaciter in ligno radicantes, laxiusculi, saepius in spatium 4—6 pollic. digesti. Peridiolum $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ lin. longum, ellipticum, obtusum, e membrana tenuissima fugaci constans. Sporidia minutissima, angusto-elliptica vix pellucida. *In ligno putrido Triplaris Americanae per silvas horrendas Brasiliae.* (v. ic.)

20. *M. arcuatus*, floccis simplicissimis approximato-septatis arcuatis, peridiolis globosis nutantibus viridibus. *Mart. l. c. f.* 2.

Caespites saepe 6 pollices longi latique, irregulares, laxi. Flocci omnes arcuati et in unum latus flexi, aequales, ob parvam septorum tenuissimorum distantiam cinerascentes. Peridiolum variat pyriforme; sporidiis maturis citissime diffluit. Sporidia majuscula, rhomboideo - elliptica. *In foliis putridis Cecropiae peltatae, Brasiliae.* (v. ic.)

VIII. DIAMPHORA. Mart.

Nov. Act. Acad. Nat. Cur. X. p. 511. t. 46. f. 9.

CHAR. Flocci septati, fertiles bifidi peridiolis duobus discretis, operculo deciduo tectis, terminati. Sporidia discreta.

Obs. Ob *duplex* peridiolum, forma *amphorae* (unde nomen), operculo discolori tectum insigne genus. Flocci biformes. Sporidia alia elliptica septata, alia minutissima globosa sessilia.

1. DIAMPHORA *bicolor*. Mart. l. c.

Caespites minutissimi, fugacissimi, ambitu suborbiculari. Flocci fertiles, erecti, septati, apice cernui, basi ramos nonnullos flexuosos intricatos septatos tenuiores emittentes. Peridiola fusca, furcello terminali lateraliter affixa, opposita, cylindrica, ore sursum spectante ope operculi fugacis conici tecto, colore testaceo. Sporidia post operculum decussum elabentia, creberrima. *In fructibus putridis Joncquetiae in provincia Paraënsi in Brasilia.* (v. ic.)

IX. DIDYMOCRATER. Mart.

Nov. Act. Ac. Nat. Cur. X. p. 510. p. 363.

CHAR. Flocci septati, simplices, peridiola sessilia, gemina, clavato-cylindrica, ore orbiculari aperta apice proferentes. Sporidia discreta.

Obs. Praecedenti generi affine (nec adhuc constat, utrum peridiola operculo primitus sint tecta an dehiscant), notis datis et habitu facile distinctum. Habitu ad Aspergillos accedit, coëunt scilicet, monente inventore, scyphi, cum aqua mergantur, simulantque unum, sed iidem rursus discedunt, cum evaporata aqua vis contrahens exhausta est. Ob horum binorum scyphorum formam singularem nomen generi impositum est. Flocci, ut sporidia minima subglobosa, uniformes.

1. *D. obscurus*, floccis nudis, peridiolis fuscis basi attenuatis. *l. c. t.* 46. *f.* 8.

Subsolitarius, sparsus, 1½ lin. altus. Flocci conspicue septati, septis pluribus, pellucidi, aequales, simplicissimi, apice ferentes par vasculorum cylindricorum basi nonnihil angustiorum colore fusco, sporis minutis pellucidis ovali-globosis farctorum. *Supra ligna putrida in silvis horrendis aeterno rore humidis ad flumen lignorum* (Madeira) *in Brasilia.* (v. ic.)

2. *D. elegans*, floccis granuloso-dentatis, peridiolis cylindricis cinereo-griseis.

Mart. l. c. t. 36. *f.* 8 *. *Flor. Erlang. p.* 363.

Differt a praecedente statura minori (½ lin. alta), floccis ad genicula ramulorum rudimentis granuliformibus praeditis, peridiolis brevioribus nec basi attenuatis, nec non colore. *In plantis herbariorum male exsiccatis, lectus Erlangae.* (v. ic.)

X. CEPHALEUROS. Kunz. in litt.

CHAR. Flocci fertiles erecti, simplices, non septati, apice demum clavato peridiola plura subterminalia proferentes. Sporidia discreta.

Obs. Ex omnibus generibus Mucorinis hoc inter primam et secundam seriem medium maxime insigne mihi videtur, minus ob fructificationem, quam ob indolem vegetationis recedentem. Caespites sistit in foliis coriaceis perennibus vivis determinatos, saepe radiantes, e floccis decumbentibus septatis contextos, colore viridi canescente. Hic color non est smaragdinus, aeruginosus vel olivaceus Fungorum, sed laetus Algarum. Est itaque in hoc ordine recedens, ut inter Lichenes Fungosque amphibola *Strigula*, loco conveniens. Species videntur numerosae in tropicis; variarum vidimus rudimenta, etiam corticolae (forsitan *Dictyonema* Ag. Syst. Alg. p. XXVI. Mycelium sterile), sed perfecte fructiferas hoc loco tantum recepimus. Nomen a κεφαλη et ευρως derivarit Auctor.

1. *C. virescens*, caespitibus laxis effusis, peridiolis ovatis. — *Kunz.! in Weig. Surin. exs.*

Maculae primo subrotundae, ad 4 lin. usque dilatatae, floccis adpressis radiantibus adplanatae, passim confluentes magis irregulares. Flocci fertiles nudo oculo vix discernuntur, sub lente capitulo albo terminati videntur. Sub microscopio characteres supra indicatos monstrat. — Specimina a me visa epigena sunt; in Sched. l. c. addita hypogena dicuntur. *In foliis plantarum Gujanensium semper-virentium* (Ecastophylli Rich.?) (v. s.)

2. *C. densus*, caespitibus densis pulvinatis, peridiolis ovato-globosis. — *Kunz.!*

Maculae hujus magis byssinae, etiam duplo minores (1—2 lin. latae); floccis haud ita adpressis et radiantibus, sed undique divergentibus, unde caespites densiores et pulvinati. Color e virescenti

canus. Sporidia in utraque specie minuta, globosa. *Surinami in pagina superiori foliorum Chrysobalani Icaco lectum.* (v. s.)

XI. AËROPHYTON. Eschw.

Syllog. Fl. Ratisb. 1. *p.* 163. *t.* 1. *f.* 1.

CHAR. Flocci coenotocii, articulati, apice clavati; clavulis peridiola subrotunda adhaerentia gerentibus. Sporidia minutissima.

Obs. Incipit novam seriem floccis apice sterilibus, peridiolis ad latera enatis. Ceterum vero tam vegetatione epiphylla, quam fructificatione cum *Cephaleuro* eximie convenit, Aspergillus in summa dignitate. Flocci steriles (s. mycelium) obsolete septata, in pelliculam tenuissimam confluentes; horum unione oriuntur flocci fertiles, in specie cognita ramosi. „Nomen genericum plantae nostrae imprimis adaptatum censebatur, quippe quae folio leniter adhaerens ejusdem quasi effluvia vel spiritum exhalantem referret. *Eschweil.*

1. AËROPHYTON. *Principis.* l. c.

Fungus aspectu tenerrimus, sed persistens et nudo oculo jam arbusculi imaginem praebens, 3 lin. altus; marcescens, funiculi adinstar collabens. Flocci candidi, apice ut plurimum steriles, ramis inordinatis fertilibus, articulis diametro floccorum bis ter longioribus. — Memorabiles insuper sunt flocculi, ut visum est, parasitici, non septati matricis duplo tenuiores ejusdemque ramos circumvolventes, contorquentes, immo quod in alio specimine observavit Eschweiler, summos ramos versus folium trahentes, quo ulteriorem evolutionem et fructificationem aperte cohibent. Sunt hi, meo sensu, potius anamorphosis ad mycelium regressiva. *In foliis Casseliae Brasiliensis.* (v. s. ab Eschweil comm.)

XII. SYZYGITES. Ehrenb.

Ehrenb. Verhandl. Naturf. Freund. 1. p. 91. t. 2. 3.

CHAR. Flocci tubulosi, continui, dichotomi, erecti, peridiolis lateralibus sessilibus, binis oppositis in unum coalescentibus, globulo sporidiorum medio.

Obs. Nobile Ill. *Ehrenbergii* inventum plurima maxime insignia phaenomena offerens et analogias illustrans, quae l. c. plene exposita videas. Incipiunt peridiola e ramulis lateralibus verrucaeformibus, dein in peridiola excrescentibus. Cfr. *Stachylidium diffusum* hac ratione eximie analogum. — Copulatio peridiolorum omnino est *Conjugatorum* inter Phyceas. — Globulus sporidiorum est s. d. sporangium *Piloboli* s. *Hydrophorarum*. — Massae sporulosae motus intra floccos communis esse videtur (quatenus in speciebus melius explicatis observari potuit) cum omnibus Mucorinis et Mucedineis tubulosis. Floccorum elongatio post peridiolorum maturitatem naturam eorum mycelinam testatur; simile supra jam sub Aërophyto notavimus. Est quoad floccos satis cum Phycomyce analogum, sed habitu et loco cum *Ascophora Aspergillo* ita convenit, ut uterque Fungus sub *Mucore Aspergillo* confusus fuerit. E peridiolis conjugatis nomen.

1. SYZYGITES *megalocarpus*.

Mucor Aspergillus. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 110! et forte Aliorum. Cfr. Ascoph. Aspergillum. Aspergill. laneus. *Link diss.* 1. ipso apud Ehrenb. teste. Syzygites megaloc. *Ehrenb.! l. c. Link Spec.* 1. *p.* 94.

Flocci infantiles simplices, tenues, rigiduli, pellucidi, stricti, mox dichotomi, crassiusculi, albolutescentes, sicci subolivacei. Peridiola e ramorum initiis verucaeformibus intumescentia, pyriformia, quorum duo opposita approximantur, contigua fiunt et in corpus fusiforme confluunt. Surgit e tubulo floccorum massa sporacea, quae in dissepimento pe-

ridiolorum subsistit et in globulum demum nigrum concrescit. Hoc maturescente apices in fibras longas simplices excrescunt. *In Agaricis putridis, autumno.* (v. v.)

XIII. AZYGITES. Fries.

Syst. Orb. Veg. 1. *p.* 364.

CHAR. Flocci tubulosi, continui, erecti, ramosi, peridiolis lateralibus pedicellatis solitariis, globulo sporidiorum conglobatorum medio opaco.

Obs. Genus praecedenti simillimum, ut nudis oculis vix distinguas. Historia omnino eadem videtur, sed eximie differt peridiolis pedicellatis, solitariis globulum seminalem includentibus nec in duorum oppositorum confluxu natis. At cum siccum tantum viderim, denuo observandum. — Dubiorum licet inimico, memorabilior mihi visus, quam qui omitteretur.

1. AZYGITES *Mougeotii.*

Caespites sistit crassos, late effusos, dense lanatos, floccis intricatis, ut siccos facile effusos crederes, colore olivaceo-fusco. Peridiola oblonga, utrinque aequalia, obtusa, pedicelli tenuis longitudine, utroque apice *Bactridii* instar pellucida; globulus sporidiorum in his latum septum transversale efficit. *In Boletis putridis autumno.* (v. s. a Mougeot. e Gallia miss.)

Stachyl. diffusum adultum globulum sporidiorum lateralem quidem offert, sed sporidia nuda hinc ad praecedentem se habet ut *Aspergillus glaucus* ad Mucorem.

XIV. MELIDIUM. Eschweil.

Eschw. Rhizom. p. 33. *f.* 10.

CHAR. Flocci solidi, contigui, ramulis lateralibus peridiolis globosis persistentibus terminatis. Sporidia quaterna, pellucida. *Album.*

Obs. Genus videtur eximie distinctum, tam ob fibrarum structuram, quam ob sporidia pauca et peridiolorum situm. Sporidia jam in statu sicco per peridioli membranam translucent; demum sub aqua trita peridiola aperiuntur. — In icone laudata fig. b. luculenter videre licet floccum primarium pronasci et ramulos fertiles prolificatione laterali ortos esse. Ceterum mycelium adest e floccis decumbentibus sterilibus item continuis.

1. MELIDIUM *subterraneum*. l. c.

Fungus persistens, 1—3 lin. altus, tenacellus, semipellucidus. Flocci solidi!, fertiles erecti, ramosi, ramis primariis ternatim plerumque fasciculatis, demum ramosissimis corymboso-bifidis, peridiolo minuto globoso terminatis. Sporidia ovalia, rotunda, numero raro depauperata. *In Rhizomorpha subterranea in Germania.* (v. ic.)

XV. EUROTIUM. Link.

Mucoris spec. *Auct.* Eurotium. *Link* diss. 1. p. 31. *Nees Syst. f.* 91.

CHAR. Peridiola membranacea, sessilia, adnata, irregulariter dehiscentia. Sporidia globosa, minuta, indefinita, primo gelatinosa, in aqua diffluentia, pellucida. *Flocci ad basin radiantes.*

Obs. Fingitur quidem vulgo Eurotium peridiolis tantum haud stipitatis a Mucore recedere; sed re ipsa longe diversae est indolis et morphoseos. *Flocci hujus* in charactere generico recipi non debent, quum syst. veget. unice spectent. Peridiolum tenacioris est substantiae ut facile peridium ut in *Apiosporio*, *Coniosporio* etc. dicendum videatur, sed textura non composita, sed membrana simplex. Hac a Perisporiaceis v. c. *Erysiphe*, *Perisporio* etc. differt, ut etiam sporidiis in aqua facile diffluentibus (εὐρόος), unde nomen.

* *Peridiolis coloratis, floccis evidentibus.*

1. *E. Rosarum*, peridiolis sphaericis virescentibus, caespitibus floccorum simplicium medio adscendentium condensatis albis immersis.

E. Rosarum. *Grev.! Crypt. Scot. t.* 164. *f.* 2. (Cfr. Erysiphe pannosa. *Syst. Myc. III. p.* 236.)

Caespites densi, pannosi, confluentes; hinc a lin. ad ½ unc. latitudinem varii, primo albi, dein medio fuscescentes. Flocci singuli peridiola cingentes simplices, adscendentes, septati. Peridiola inter floccos abscondita, sequentis similia. *Ad ramos, petiolos et calyces Rosarum.* (v. s.)

Obs. Minime dubitamus hoc et *Erysiphen pannosam* l. c. citato eandem sistere plantam; at cujus generis sit? Plurimi Erysiphes structuram se invenisse testantur; equidem nuperius specimina Cell. Grevillei microscopio subjeci et exacte talem, qualem pinxit acutissimus vir, video. Quid igitur agendum? Utraque sententia ad interim, quantum possit, polleat; utroque loco, donec certum latum judicium, ad monita Cel. Linkii, citare debui.

2. *E. herbariorum*, peridiolis sphaericis subdepressis luteis, floccis radiatim expansis ramosis intricatis cinctis.

Mucor. *Hall. helv. n.* 2151. Monilia uidulans. *Roth. Germ.* 1. *p.* 559. Mucor herbariorum. *Weber Holsat. p.* 111. *Pers. Syn. p.* 202. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 112. *Dec. fr.* 6. *p.* 100. Farinaria sulphurea. *Sowerb. t.* 379. *f.* 3. Eurot. herbarior. *Link Obs.* 1. *p.* 29. *f.* 44. *Spec.* 1. *p.* 79. *Nees Syst. f.* 91. *Grev. Crypt. Scot. t.* 164. *f.* 1.

Granulis minutis sphaericis, demum depressis, luteis in tomentulo nidulantibus distinguatur. Tomentulum nunc lanaeforme evidens, nunc depressum, parum insigne v. c. in caseo etc.; colore variat albo, flavo, aurantiaco; siccitate rubente, ferrugineo, badio. *In corporibus siccioribus putrescentibus fere omnibus, ubique nimium.* (v. v.)

Frequentissime quidem plantas herbarii male exsiccatas, sed etiam quaecumque alia corpora, tam domestica v. c. *panem, carnem, caseum*, quam silvatica v. c. *ligna*, infestat. Si argutius species dis-

tinguere lubet, heic plures facile agnoscas. Specimina epixyla floccis obscurioribus, peridiolis elevatis sistunt *E. epixylon* Schmidt et Kunz. exs. n. 83! — Qualem *Mucorem lateritium* Link Spec. 1. p. 84. (descriptione bene conspirante) misit *Weinmann*, hujus est loci, floccis lanaeformibus laxis in pane obviis.

3. *E. fructigenum*, peridiolis ellipticis citrinis, floccis effusis membranaceo-contextis e testaceo fuscescentibus.

E. fructigenum. *Mart. Erl. p.* 368. *Link Spec.* 1. *p.* 80.

Praecedente multo minus. Flocci tenerrimi, tam dense contexti, ut singuli vix conspiciendi, colore pallide testaceo, dein in fuscum vergente. Peridiola $\frac{1}{4}$ lin. vix attingunt, conferta, obtusa, pallide citrina. Priori minus forsan affine. *In fructibus putridis* (Fuchsiae coccineae) rarissime.

4. *E. Pyrobolus*, floccis peridiolisque tenerrimis in maculam fulvo-ferrugineam stipatis, sporidiis minutissimis in seriem linearem elastice ejiciendis.

Inter fungos tenerrimos vix alius magis mirabilis et singularis! Sine dubio peculiare constituere posset genus, nisi haec evitare vellem. Plurima quoque cum Eurotio communia, peridiola tenerrima sporidia gelatinosa foventia, haec adfusa aqua celerrime diffluentia. Hujus vero sporidia non vage diffluunt, sed elastica vi momento, quasi ictu bombardae, in linearum seriem fortissime expelluntur. Ceterum adeo subtile est, ut etiam sub forti lente tomentulum fulvo-ferrugineum tantum referat. Sub micr. composito discernuntur flocci breves simplices l. ramoso-intricati peridiola minutissima cingentes. Adfusa aqua sporidiorum explosio simul observatur. *Ad caules putridos Brassicae oleraceae, hieme.* (v. v.)

Est *Sphaeroboli* infimus prodromus, e quo primum perspexi rationem explosionis elasticae hujus

globuli, dein in Sphaerobolo ipso confirmatam. Etiam a Cel. *Weinmann* sub *Pyroboli tenerrimi* nomine accepi.

** *peridiolis nigricantibus.*

5. *E. caulincola*, peridiolis sparsis globoso-hemisphaericis nigricantibus, floccis effusis ramosis subinnatis albis.

Flocci dense intertexti, magis quam priorum mucedinei, matrici irrepentes, ut ad Sepedonieas accedant, latas et indefinitas plagas occupantes. Peridiola magnitudine et forma *Eurot. herbariorum*, sed magis depressa; in aqua, compressa saltim, effundunt sporidia generis copiosa. In mycelio observantur simul corpuscula sporidiiformia magna oviformia lutescentia, quae forte peridiola juniora. *In interiori parte fistulosa caulium putridorum*, v. c. *Heraclei Sphondylii, autumno.* (v. v.)

6. *E. nebulosum*, peridiolis minimis in series longissimas parallelas determinatas aggregatis, floccis intertextis tenuissimis.

Quam maxime a priori diversum, licet mixta vulgo reperiantur. In pagina interiori caulium putridorum observantur, nudo oculo tantum ut nebula, maculae longissimae, ab uno ad alterum nodum linea recta productae, stricte limitatae, sed paucas modo lineas latae, quae sub micr. simplici e punctis nigris effici videntur. Sub micr. comp. facile dignoscuntur peridiola globosa, sporidia minutissima effundentia, et floccis tenerrimis ramosis intricato-innatis insidentia. *Loco et tempore prioris socius.* (v. v.)

XVI. CLISOSPORIUM. Fries.

Fries Nov. Fl. Suec. 1819. *p.* 80.

CHAR. Peridiola membranacea, sessilia, irregulariter dehiscentia. Sporidia globosa, minima,

numerosissima, primo gelatinosa, dein diffluentia pellucida. *Flocci nulli discreti.*

Obs. Aegre in hac grege quaeras genus heteroclitum, sed *Eurotio* tam affine, ut conjungere non semel in animo fuerit; differt vero defectu mycelii floccosi discreti, peridiolis firmioribus, ut illud genus mucedineum, hoc byssinum sit. Major sine dubio utriusque affinitas cum Perisporiaceis, v. c. *Apiosporio*, *Coniosporio*, sed peridiola omnino membranacea, sporidia discreta, libera. Illa ad Sphaeriaceas, ut status elementares, surgunt; *Clisosporia* potius, ut typice loquar, sunt Torulae in summa explicatione, singulo articulo in peridiolum inflato et sporidia, nec tantum materiam grumosam, fundente. Ex obs. Cel. *Agardh* sporidia in floccos copulantur.

1. *C. herbarum*, peridiolis discretis hemisphaericis atris.

Sphaeriam minutissimam refert, sed sub micr. comp. peridiola membranacea dehiscunt et sporidia generis, absque gelatina, fundunt. Macula nigra nulla. *Ad caules siccos, autumno.* (v. v.)

2. *C. lignorum*, peridiolis subcontiguis oblongo-globosis atris.

Conferva Mucoroides. *Agardh in Vet. Ac. Handl.* 1814. *t. 4. f. B.* Syncollesia. *Syst. Alg. p.* 32. (Ad Torulas magis accedit, quam stirps nostra.)

Peridiola minutissima, subcohaerentia, tenuissimae maculae nigrae (mycelio sine dubio) passim insidentia. *Ad ligna putrida, hieme.* (v. v.)

ORDO III.

DEMATIEI.

Inomycetum ser. II. *S. M.* 1. p. XLV.

CHAR. Sporidia (s. sporae) extus e floccis sporidiiferis corticatis, continuis annulatisve subopacis enata.

Obs. Quamvis difficilis differentia inter *Dematieos* et *Mucedines* videatur, maxime essentialis est et primo obtutu palpabilis. Characteres systematici tamen e floccorum indole potissimum pendere videntur. Sunt flocci *Dematieorum* epidermide corticati, hinc solidiusculi, continui aut annulati tantum, rigiduli, plus minus opaci. Flocci *Mucedinum* e membrana simplicissima facti, hinc semper tubulosi, septati, molles, pellucidi. Flocci *Dematieorum* perfectiorum luculenter e fibrillis longitudinalibus contexti, (quare jure proprio nomine *fibrarum* designavit Nees ab Esenbeck;) sed hoc in tenuioribus persequi non licuit. At hae differentiae in infimis Dematieorum generibus obliterantur. Facile fingerem, luculenter indicante *Macrosporio*, horum fibras totas in sporidia abiisse et floccos praesentes tantum esse mycelium h. e. ad Dematieos accedere, ut *Sepedonieos* ad Mucedines. Constantiorem, sed minus palpabilem, differentiam efferunt conidia, quae in *Mucedineis* semper nuda, numquam vero in Dematieis, sed Mycelio sive floccoso, sive, ut saepius, crustoso inclusa. Mycelium Mucedinum semper floccosum est. Hoc diversam indicat metamorphosin sporidiorum. Inter Mucedines nascuntur sporidia libera, inter Dematieos e fibris ipsis protuberant. At practice haec persequi difficile est.

AFFINITAS Dematieorum longe alia est, ac Mucedinum. *Mucedines* ad Trichodermaceos et Phyceas; *Dematiei* vero ad Pyrenomycetes et Lichenosas (Byssaceas) accedunt. Horum limites a Pyrenomycetibus nondum stricte definire valemus. Series inter Dematia et Vermicularias contigua. Varia genera et species Dematieis adnumerata sunt mycelia Pyrenomycetum; de variis Dematieis dubia restant annon e Pyrenomycetum anamorphosi orti sint. Ne remotissima quidem est Mucedinum affinitas cum Pyrenomycetibus, eo major vero cum Gasteromycetibus strictiori sensu. Quidquid fingatur, constans erat in primis Systematis lineis Pyre-

nomycetes cum Gasteromycetibus eadem ratione ac Dematieos cum Mucedinibus conjungere. Plurimi Auctores veteres Dematieos a Sphaeriis et Byssaceis ne genere quidem distinxerunt, Mucedineis cum Phyceis, Mucorinis et Trichodermeis junctis. Eadem differentia inter Cephalotricheos et Mucorinos indicata est. Quantum insuper omnia Dematiea genera loco et tota vegetatione inter se conveniant et a Mucedinum differant, infra exponitur. Paucis, si adesset character systematicus, naturae maxime conveniens esse fingerem Hyphomycetes in duas series, Dematieam et Mucedineam, disponere. Qua ratione hoc fieri possit, in variationibus Systematis indicabo. At a Mucedineis tamen haud longe removendos esse Dematieos tam varii status intermedii, quam perfecte analoga evolutionis series indicat.

Stationes et qualitates Dematieorum etiam longe recedunt. Inhabitant, ut Pyrenomycetes, quorum societate gaudent, tantum vegetabilia arida, sicca, nec putredine corrupta. Certis et definitis locis et matrici multo magis adscripti quam Mucedines. Inde forsan non parum pendet tardior eorum vegetatio, substantia rigidior et magis persistens. Vegetant Lichenosorum more jove pluvio et rorido, hinc praecipue brumales; sicci aridi et persistentes. Sunt omnes species silvaticae nec domesticae ut plures Mucedinum. Hinc quidem rei culinaris administris haud taediosi, ut Mucedines. Usus nullus.

EVOLUTIONIS series. Infimorum vegetatio subinnata, floccis tantum mycelii, sed sporidiiferis instructa, fibris ipsis in sporidia erecta mutatis. Dein fibrae pro parte tantum in sporidia mutantur, v. c. *Cladosporii*, *Helminthosporii*, tandem sporidia et fibrae omnino discreta. — Quae *sporidia* dicimus in inferioribus fungis, organa sunt valde diversae dignitatis, non minus quam semina apud veteres Botanicos. Pleniorem hujus materiei analysin, aut potius constructionem differre necesse mihi visum

est, donec omnes fungos in specialibus tractaverim. Cum vero inter Dematieos et Mucedineos cum Sepedonieis sporidia sola fere characteres genericos offerant, diversam eorum rationem practico modo notare necesse est; nam characteres generici e floccis erectis et decumbentibus erronei sunt; simplices flocci et vario modo ramosi ad genera limitanda haud idonei sunt. Infima, v. c. *Gliotrichi*, *Sporendonematis*; sporidia ad gonidia prope accedunt, floccis vero inclusa aut adglutinata. In proximis generibus, *Macrosporio* et *Bactridio*, flocci apice intumescunt in carpella, quae vero etiam sporidia dicuntur, cum discreta sporidiola non includant, re ipsa tamen analoga sunt apicibus floccorum Sporendonematis immutatis, sporidia includentibus. Sunt itaque haec primum experimentum ad sporidia altiori metamorphoseos gradu formanda, quod dein in *Cladosporio* et *Oidio* liberius evolvitur, apicibus ramisque in sporidia discreta collabentibus. Praecocius et, ut apparet, jam primitus eadem sporidia discreta sunt in *Dematio* et *Sporotricho*; in *Trichothecio* et *Polythrincio* bilocularia persistunt e duobus coalitis. In *Helminthosporio* et *Dactylio* sporidiorum compositorum incipit series, ramulis in carpella mutatis, at sporidia interna tam parum evoluta sunt, ut adhuc ipsa sporidia practice dicamus. Sunt altiores evolutiones *Macrosporii* et *Bactridii*. Sporidia in citatis generibus septata sunt, nec dehiscentia, nec in alia sporidia collabentia; hinc tota ut simplicia sporidia considerantur. In *Helicosporio* vero et *Monilia* in floccos elongantur, quorum septa in sporidia secedunt; hinc oriuntur in his sporidia simplicia, eodem modo ac in *Cladosporio* et *Oidio;* re ipsa tamen singulum sporidium in Dactylio respondet sporidiorum catenae in *Monilia*, in hac modo magis explicatae.

In *Myxotricho* et *Botrytide* globuli gelatinosi primordiales eundem sistunt evolutionis gradum ac sporidia Dactylii, sed in sporidia discreta abeunt

eaque conglutinata tantum. Vidimus et in Dactyliis et in Botrytidibus guttulam primordialem simillimam (s. d. sporam *Verticillii*), quae vero in *Dactylio* in unicum sporidium compositum abit, in *Botrytide* in sporidia simplicia discreta collabitur. In *Stachylidio* vero et *Oedemio* non primitus collabitur ista spora primordialis, sed sporidia simplicia includit. Peridiola jam dici possent sporae, nisi a floccis discretae essent. Horum generum sporae re ipsa tantum sunt sporidia *Helminthosporii* et *Dactylii* rotundata, sporidiolis in sporidia (ejusdem dignitatis ac sporidia Botrytidis et Myxotrichi) mutatis. Tandem in summo utriusque seriei genere sporidia simplicia apice capitato - congesta. Ut illustretur tam nexus generum quam sporidiorum evolutio, genera analoga *Dematicorum*, *Mucedinum* et *Sepedonicorum* in series parallelas disponere juvabit:

Dematiei.	*Mucedines.*	*Sepedoniei.*
1. Sporocybe.	1. Aspergillus.	1. Sepedonium.
2. Oedemium.	2. Stachylidium.	2. Tuburcinia.
3. Myxotrichum.	3. Botrytis.	3. Collarium.
4. Actinocladium.	4. Penicillium.	— —
5. Helicosporium.	5. Monilia.	5. Fusisporium.
6. Helminthosporium.	6. Dactylium.	6. Epochnium.
7. Dematium.	7. Sporotrichum.	7. Psilonia.
8. Polythrincium.	8. Trichothecium.	8. Scolicotrichum.
9. Cladosporium.	9. Oidium.	9. Aleurisma.
10. Macrosporium.	10. Bactridium.	10. Dendrina.
11. Arthrinium.	11. Sporendonema.	11. Sporisorium.
12. ? Gliotrichum.	12. ? Acremonium.	

SYNOPSIS generum, e sporidiorum indole praecipue distinguendorum:

I. SPOROCYBE. Sporidia simplicia, in capitulum terminale conglobata.

II. OEDEMIUM. Sporidia intra sporam e latere fibrarum protuberantem dehiscentem collecta.

III. MYXOTRICHUM. Sporidia simplicia, conglomerata, primo materia viscosa conglutinata.

IV. ACTINOCLADIUM. Sporidia simplicia, in apice definito partitarum fibrarum collecta, mox dispersa.

V. HELICOSPORIUM. Sporidia flocciformia, spiraliter involuta, septata, septis demum secedentibus.

VI. HELMINTHOSPORIUM. Sporidia subclavata, septata, fibris primo adnata.

VII. DEMATIUM. Sporidia simplicia, libera, seriata conglomeratave, fibris strictis aequalibus adspersa.

VIII. POLYTHRICHIUM. Sporidia libera, didyma, fibris submoniliformibus demum adspersa.

IX. CLADOSPORIUM. Sporidia in ramulos concatenata, dein dilabentia, simplicia. Fibrae apice septatae, subflexae.

X. MACROSPORIUM. Fibrae in sporidia (maxima) erecta, multiseptata mutata, floccis septatis pellucidis evanescentibus adnata.

XI. ARTHRINIUM. Sporidia coacervata, obscura, farcta, e floccis latentibus septatis, septis obscuris, enata.

XII. GLIOTRICHUM. Fibrae assurgentes, continuae, primitus mucosae, dein rigescentes, sporidiis simplicibus subadglutinatis.

I. SPOROCYBE. Fries.

Syst. Orb. Veg. 1. *p.* 170. Periconiae spec. *Auct. nec Tode.*

CHAR. Flocci subulati, solidi, contigui, (*fibrae*), e fibrillis longitudinalibus constipatis facti, stipitiformes, capitulo e sporidiis simplicibus congestis conglobato terminati.

Obs. In ipso stipitis apice propullulant sporidia in capitulum compacta, morphosi ad Calicia accedens. Hoc nullis floccis primitus intertextum

est, ut in *Cephalotricho*; nec gelatina involutum, ut in *Stilbo*; a *Periconia* differt vesiculae defectu. Est nempe in hac serie idem quod *Aspergillus* *) in sequente evolutionis gradu, a quo vero vegetatione longe recedit. Nomen a σπειρω et κυβη sumtum. Species eximiae, nigrescentes, persistentes, fere Lichenosae, sed gonidiis carentes. Mycelium tam floccosum (in hac serie rarissimum), quam vesiculari-gelatinosum; ob varias species *mycelii*, minime semper floccosas, istam denominationem *Hyphasmati* praefero; nam mycelium quale Myxogastrium, Sphaeriarum lineolas atras imitans etc. tantum a hyphae indole recedunt, ut aptius nomen recipiendum sit.

1. *S. Resinae*, atra, mycelio effuso floccoso, capitulo rotundato inaequali, sporidiis seriatis, stipite aequali simplici.

Racodium Resinae. *Fries Obs.* 1. *p.* 216. *Pers. Myc. Eur.* I *p.* 67. Dematium. *Link Spec.* 1. *p.* 134. absque capitulo. — Cum aliis, praecipue Sphaeriarum myceliis, sub Demat. nigro. *Link l. c. p.* 131.

Mycelium irregulariter expansum, fuligineo-nigrescens, e floccis mollibus contiguis absque conidiis inspersis contextum. In hoc mycelio frequenter observantur fibrae rigidae, multiplo crassiores, e floccorum coitu enatae, simplices, raro 2—3 conjugatae, habitu stipitum Calicii, quae sunt stipites capitulo orbati. In optimo vigore terminantur capitulo rotundato, sed inaequali, admodum compacto, quod sub microscopio floccoso-hispidum apparet, non quidem e floccis Cephalotrichi more intertextis, sed e sporidiis *Antennariarum* more seriatis, nudis, opacis, aqua adfusa haud secedentibus. *Pervulgata species in silvis montosis ad truncos resinosos Pini Abietis. Perennis.* (v. v.)

*) Ad Periconiam accedit Sporocybe, ut Aspergillus ad Ascophoram.

2. *S. Persicae*, capitulo ovato-globoso compacto cinereo-nigro, stipite subbulboso incurvo nigro.

Periconia Persicae. *Schwein.*! *Car. p.* 99.

Mycelium nullum video, semper vero stipitem enatum e tuberculis corticis interioris, per epidermidem rimose fissam protuberantibus. Stipes quadrantem unciae longus, crassiusculus. Capitula facile decidua; integra nobis desunt. *Incredibili copia investit ramos, ramulos et truncos emortuos Persicarum in America boreali. Perennis.* (v. s.)

3. *S. Robiniae*, cinerea, capitulo inaequali farinaceo, stipite compresso subfurcato.

Peric. Robiniae. *Schwein.*! *Car. p.* 99.

Praecedentibus robustior, semunciam longa. Stipes crassus, rigidus, nigricans, saepe bis furcatus. Capitulum in aqua diffluit. Vere tantum ex Auctore, sed stipes saltim persistens. *Ad ramos dejectos Robiniae in Carolina.* (v. s.)

Obs. Conferendae sunt *Periconiae Avellanae* Reb. et *P. subulata* Nees sub *Cephalotricho Stemonitide*. Hoc loco tantum addendum, istam stirpem apud *Corda in Sturm, Deutschl. Fl. III. Abtheil. Heft* 7. *t.* 30. *Doratomycen Neesii* dici. (Iste fascicul. cum sequentibus prioribus ordinibus absolutis, primum ad me pervenit.)

4. *S. Calicioides*, atra, mycelio maculari effuso, capitulo compacto globoso, stipite subulato gracili.

Calicium haustellare; *Ach. in Vet. Ac. Handl.* 1816. *t.* 5. *f.* 6. icon! sed immixtis spec. Calicii subtilis et excl. loco. Eadem aut affinis est species: Stilbum nigrum. *Schrad. Decand.*

A Caliciis distinctissima! Innascitur mycelio maculari vesiculoso-gelatinoso atro prorsus glabro, in quo nil omnino Lichenosi, sed hoc subinde prorsus deficit. Stipites 2 lin. usque longi, setacei, sursum sensim attenuati, nunc stricti, nunc flexuosi, simplices, sed exoleti e fibris longitudinalibus quasi setosi. Capitulum minutum, compactum, e meris sporidiis

formatum, facile deciduum. *Ad ligna putrida Fagi varius.* (v. v.)

5. *S. Byssoides*, nigra, capitulo globoso compacto, sporidiis globosis, stipite subulato apice pellucido.

Periconia Byssoides. *Pers. Syn. p.* 686. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 357. *Nees Nov. Act. Acad. Nat. Cur. IX. p.* 239. *t.* 5. *f.* 9. *Link Spec. 2. p.* 109. *Duby Syn. Gall. 2. p.* 278.

Mycelium nunc maculare cinerascenti-nigrum, nunc obsoletum. Stipes tenuis, strictus, $\frac{1}{2}$ lin. haud attingens. Sporidia globosa, majuscula ut in praecedentibus, in capitulum inaequale compacta. Fila intertexta non vidi cum Alb. et Schwein.; forsan sporidia seriata intelligunt. *Ad caules herbarum etc. putridos frequens. Autumno — vere.* (v. v.)

Species recedentes:

6. *S. Desmazieri*, nigrescens, stipite aequali, sporidiis ovato-appendiculatis exiguis diffluentibus in capitulum ovale congestis.

Stirps valde distincta, lente simplici lustrata sistens setulas sparsas aut laxe aggregatas nigras. Sub micr. comp. fibrae longae, strictae, subaequales, primo nigrae, adfusa vero aqua fusco-pellucidae. Capitulum terminale, normaliter ovale, sed globosum et oblongum etiam in siccis apparuit, e sporidiis congestis granulosum. Sporidia facile secedere videntur, (pauca capitula compacta) forma ab omnibus diversa, nempe ob apiculum acutum subovata, ceterum opaca, minuta. Nihilo tamen minus sporidiolis farcta videntur, cum alia pellucida et sporidiola minutissima globosa in fundo vitri delapsa videre licuerit. Eximiam plantulam egregio Observatori dicavi. *In charta destructa*, Desmazières. (v. s.)

7. *S. albida*, alba, pellucida, sparsa, sporidiis magnis ovali-oblongis ex apice clavae terminalis diffluentibus.

Haec maxime insignis plantula novum facile genus construeret, nisi talia in hac grege cautissime evitanda censerem. Est nempe quoad sporidia *Phycomycetis* analoga formatio, sed clava terminalis non vesicularis est! Individua sparsa, immo solitaria, aliquot lineas distantia, vix lineam alta; nudo oculo pilum album referentia. Sub micr. comp. stipes subulatus, omnino contiguus, apice clavatus. Circa clavulam oblongam minutam dense congesta sunt pellucida sporidia, forma et fere magnitudine *Phycomycetis* simillima, quae adfusa aqua eodem modo mox diffluunt, stipitem investientia. *Legi aliquoties ad caules putredine fere fluxiles in Stachylidii bicoloris societate. Autumno.* (v. v.)

II. OEDEMIUM.

Link Spec. 1. *p.* 42?

CHAR. Flocci solidi, contigui, opaci (*fibrae*) ad latera protrudentes sporas globosas, effundentes sporidia minuta globosa pellucida.

Obs. Est inter Mucorinos et hanc seriem genus intermedium, eodem modo ac analogum Stachylidium, sed habitus exacte hujus seriei. Sporas enim facile diceres peridiola, a quibus vero recedunt, cum ipsa liberantur et secedunt. Sunt re ipsa sporidia Helminthosporii perfectius evoluta; origo eadem per metamorphosin ramulorum. Qua ratione vero sporidia dixerimus his inclusa, alio loco exposuimus; sunt revera eadem organa ac sporidia *Gliotrichi*, *Cladosporii* etc. Nova nomina generica pestem censens scientiae, Linkianum ab οιδεω derivatum, cum aptum sit, servavi, licet Linkiana stirps nobis incerta videatur.

1. *O. atrum*, fibris subsimplicibus caespitoso-intricatis, sporis subrotundis sessilibus.

C. atrum. *Corda in Sturm. l. c. Heft* 6. *t.* 9. Ipso observante recedere *Link Spec.* 1. *p.* 42.

Color ater et habitus Racodiaceus. Fibrae dense aggregatae, erectiusculae, vix ramosae, nec vere septatae, sed ut variae hujus seriei obscuro annulatae, in tomentum densum contextae. Sporae ad latera adnatae, prorsus sessiles, sub microscopio compressae emittunt sporidia indefinita, globosa, pellucida. *In ligno decorticato Fagi.* (v. ic. ex qua recepi.)

2. *O. ramorum*, fibris ramosis intricatis diffusis, sporis globosis pedicellatis.

Racodium ramorum. *Schwein.! Car. n.* 1362.

Fibrae contiguae, opacae, nigrae, tenues, parce ramosae, crustam tenuem tomentosam ad 4 unc. usque expansam sistunt; fertiles surgunt. Sporae e latere floccorum breviter, at evidenter pedicellatae, quare secedentes appendiculatae, opacae, nigrae, exacte globosae, in aqua vero secernentes sporidia minuta, numerosissima, globosa, pellucida, quibus evacuatis sporae membranaceae pellucidae. A praecedente differt ut *Mycogone* a *Sepedonio*, sed si tam subtiliter genera distinguimus, singula genuina species peculiare genus. *Ad ramos vivos Quercuum et Andromedae arboreae in Carolina.* (v. s.)

3. *O. truncorum*, fibris ramosis intricatis, sporis globosis haud appendiculatis.

Luculenter priorum congener sensu nostro, at sporas non adnatas, sed inspersas vidi, magnas, opacas, exacte globosas, sporidiis farctas, sed haec non ita facile secedunt. Nudo oculo sistit caespites minutos, subrotundos, pulvinatos, floccoso-pulveraceos, opacos, atros, habitu sequentis generis, v. c. *Myxotrichi chartarum* destructi. *Ad truncorum caesorum discos. E Germania misit* Fr. Nees. (v. s.)

Descriptio *Oed. atri* Link haec est: „Cladosporio atro simillimum apparet, floccis nudo oculo vix conspicuis. Sub microsc. vero flocci apparent atri quidem, at pellucidi distincte se-

ptati, ramulo subinde uno alterove. Hinc inde protuberant in globulos diametro duplo majores ac flocci, atri quidem at diaphani. Hi globuli frequenter quoque floccis adspersi conspiciuntur, uti videtur, rupta membrana flocci prodeuntes.“

III. MYXOTRICHUM. Kunz.

Kunz. Myc. Heft 2. *p.* 108. Huc insuper refero: Byssi et Dematii spec. *Auct.* Conopleae spec., *Pers.*, Campsotrichum *Ehrenb.*, Oncidium *Fr. Nees. Gonytrichum.* Nees etc.

CHAR. Floccis solidi, contigui, opaci (*Fibrae*). Sporidia simplicia, inspersa, conglomerata et primitus materia viscosa conglutinata.

Obs. 1. Inter varia nomina generis ideae optime respondet Kunzeanum a *μυξα* et *θριξ* derivatum, ejusque character cum recepto convenit. Genus autem admodum dilatavi, de quo Auctor loco citato jam eximie disseruit; mihi plane persuasum habeo genera hujus et sequentium tribuum, quo plenius eorum morphosin perspexerimus, eo magis esse reducenda. Fibrae etiam hujus generis primitus et normaliter, uti reliquorum omnium, erectae sunt, sed passim caespitoso - intricatae evadunt, ut in *M. chartarum* l. injuriis externis prostratae ut in *M. Resinae.* Est in hac serie omnino analogon *Botrytidis* in sequente, quo perspecto facilius agnoscatur. Ut *Botrytis* hinc ad *Stachylidium*, illinc ad *Sporotricha* accedit, *Myxotrichum* ad *Oedemium* et *Dematium.* Ut Botrytis per *Geotrichum* in Oidium, sic Myxotrichum per *Stilbosporam chartarum* in Cladosporium abire videtur.

Obs. 2. Recentiores nostrae harum stirpium disquisitiones vix dubium relinquunt *Chaetomia* esse Myxotrichorum statum haud bene explicatum — *Myxotrichi rari* habemus mixtos status, alterum *Chaetomium*, alterum *Myxotrichum* spectantes. *Chaetomium chartarum* his diebus luculenter abire vidi in *Myxotrichum.* Huc spectat simul Persoonii ob-

servatio ad *Conopl. atram* biformem in Myc. Eur. 1. p. 13. Hac de caussa jam acutiss. *Ehrenb.* Chaetomium elatum ab isto genere ad Conopleam relatum voluit. Est nempe in statu perfecto *Dematium fuscum* Schum., eodem modo ac *Chaet. chartarum* Dematium olivaceum. *Ejusd.* Sic dubia, quae p. 254. attulimus, quodammodo soluta sunt. Hanc materiem in Mycol. theoretica, in qua gravissima clades struitur generibus microscopica analysi tantum fundatis, ulterius persequi in animo est. Hoc loco tantum observandum, hanc seriem in *Pyrenomycetes**) aeque evidenter abire, quam *Mucedinum* per *Trichoderma* etc. in Gasteromycetes Trichospermos. — Longe plures nobis innotuerunt species, quam hoc loco recepimus, omnes quarum synonyma haud novimus seponentes, donec hanc familiam plenius exponere liceat.

1. *M. rarum*, fibris caespitosis raris longe et vage ramosis atris, sporidiis globosis opacis ad basin congestis atris.

Conoplea hispidula. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 138. non Pers.

Habitus Sphaeriae destructae nudo oculo inspectus. Caespites minuti; alii sparsi, alii in crustam late confluentes, fibris sub lente exstantibus ut in *Conopl. hispidula* Pers. Fibrae sub micr. comp. parcae, haud intricatae, rectae, sed non strictae, subflexuosae, atrae, opacae, omnino contiguae, ramis praecipue inferne longis et vagis. Sporidia minuta, globosa, atra, opaca, nunc in formam Chaetomii conglutinata, nunc globuloso-inspersa, saepe etiam moniliformi-cohaerentia. *Ad ligna et cortices vetustos pineos.* (v. v., etiam a Mougeot. habeo.)

†. *M. fuscum*, fibris caespitosis confertis breviter et vage ramosis, fuscis, sporidiis ellipticis opacis conglutinatis.

---

* *Amphitrichum* Nees! v. c. est status *Sphaeriae piliferae*!

Demat. fuscum. *Schum. Saell.* 2. *p.* 444. Alius hujus status videtur *Chaetomium elatum*! hinc sine numero attuli.

Plantula in statu perfecto ab hoc genere separari nequit, potius forsan pro Botrytide haberes. Sporidia enim in globulis collecta gelatinosis floccis hinc inde adspersa. Simile est *M. chartarum*. *Ad culmos dejectos, autumno, hieme.* (v. v.)

2. *M. molle*, fibris caespitosis intricatis ramosis fuscis, sporidiis globosis nigris, primo glomeruloso-conglutinatis, dein liberis inspersis.

Demat. fuscum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 16. et grumosum *l. c.* non differunt, sed e descript. non definienda.

Licet a prima infantia viderim, statum Chaetomioideum conspicere non licuit. Caespites minuti, hemisphaerici, conferti, passim confluentes, nudo oculo parum conspicui. Fibrae continuae, frequenter ramosae, tenues, intertextae, semipellucidae. Sporidia globosa, medio pellucida, inspersa, primo ut globuli, dein libera. *Ad folia decidua Acerum etc. autumno.* (v. v.)

3. *M. caesium*, fibris caespitosis intricatis cinereo-caesiis, ad ortum ramorum ramulorumque patentium nodosis, sporidiis conglobatis inspersis globosis pellucidis.

Gonytrichum caesium. *Nees! Nov. Act. Ac. Nat. IX. p.* 244. *t.* 5. *f.* 14. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 19. *Link Spec.* 1. *p.* 32.

Caespituli hemisphaerico-pulvinati, 1—2 lin. lati, saepe tamen confluentes, in statu recenti rore caesio-cinereo obducti, quo demum evanescente fusco-olivacei. Fibrae tenues, rigidae, flexuosae ramosissimae, per intervalla regularia nodis globosis flocco duplo crassioribus hispidulis praediti, a quorum singulo ramuli solitarii subulati inaequales patentes oriuntur. Ramuli longiores iterum nodosi, breviores simplices, et in his praecipue glomeruli sporidiorum, quae aqua adfusa diffluunt minutissima, globosa, pellucida, copiosissima. — In-

signis, at a genere vix separari potest. *In ramulis dejectis quercinis locis humidis.* (v. s.)

4. *M. chartarum*, fibris caespitosis intricatis fragilibus ex olivaceo nigris, apicibus simplicibus uncinatis, sporidiis conglutinatis globosis semipellucidis.

Conoplea atra. *Pers. Syn. p.* 235. *Myc. Eur.* 1. *p.* 12. sec. spec.! Dematium olivaceum. *Schum.! Saell.* 2. *p.* 445. Oncidium chartarum. *Nees! in Myc. Heft* 2. *p.* 63. *t.* 2. *f.* 1. Myxotrich. *Kunz l. c. p.* 110. *Link Spec.* 1. *p.* 124. — alius hujus status est Chaetomium chartarum. *Ehrenb.!* (Cfr. *Syst. Myc. III. p.* 255.) — Certe insuper ut hujus status collapsi consideranda: Stilbospora chartarum. *Ehrenb.! silv Ber. p.* 21. Sporotrichum chartaceum *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 83. Oidium chartarum. *Link! Spec.* 1 *p.* 124. et junior: Converfa s. Byssocladium dendriticum *Agardh.*

De nexu omnium formarum certissimus sum; plantam his diebus per omnes status secutus sum. Fibrae prorsus non decumbentes, si libere nascatur, sed omnino erectae, immo subinde Coremii more basi in stipitem intricatae visae, contiguae, divergenti-ramosae, irrigatae semipellucidae in caespites valde elevatos intricatae, demum late confluentes; vetustae facile collabentes. Ubi in charta scriptoria alba nascitur, macula cingitur lutea, quae autem deest in charta grisea, ligno etc. Sporidia conglutinata, etiam discreta inspersa occurrunt, tum facies Botrytidis, ut non absurdum foret huc etiam trahere varietatem *Botrytidis nigrae* minorem in charta. Link spec. 1. p. 62. Nam nil ab his plantis in anamorphosi alienum censeo. *Non tantum in charta corrupta vulgaris, sed in ligno etc. locis suffocatis copiose.* (v. v.)

5. *M. murorum*, fibris caespitosis intricatis persistentibus atris, apicibus ramosis rectis, sporidiis globosis conglutinatis adspersis.

Myxotrichum murorum. *Kunz l. c. p.* 110.

Status primarius et normalis (etiam ob locum in cellis sine dubio personatus) vix observatus, cum

describatur ut tomentum late effusum, tenue, e fibris decumbentibus apice furcatis contextum. Color opacus, ater. Globuli sporidiorum gelatina flavida conglutinati. *Ad muros in cellis Lipsiae lectum, hieme.*

6. *M. patulum*, fibris caespitosis rigidis atris, ramis sparsis strictis rectangulis, sporidiis globosis opacis in axillis globuloso-conglutinatis.

Byssus atra. (*Huds.?*) *Roth. Cat. Bot.* 1. *p.* 216. certissime e bona descriptione. Ceratonoma *l. c.* 2. *p.* 252.

Caespites primo subrotundi, lineam lati, dein confluentes, habitu *M. chartarum*, sed ob sporidiorum copiam magis pulveracei. Fibrae omnino erectae, confertae, rigidae, fragiles, sed non sponte collabentes, aequales, opacae, atrae, ramosae; ramis omnibus horizontaliter patentibus, longitudine inaequalibus, fibrae primariae crassitie. Sporidia in globis magnis in axillis primo vulgo sparsis, evidenter conglutinata, dein soluta sparsa, minuta, opaca; sed in aqua secedentia, et sub summo augmento conspiciuntur alia minora, pellucida (sporidiola?) ad fundum delabentia. *Ad ligna vetusta pinea.* (v. v.)

7. *M. murinum*, fibris aggregatis rigidis murino-nigris, ramis erecto-patulis brevibus, sporidiis globosis pellucidis hinc inde conglutinatis.

Botrytis murina. *Dittm. apud Sturm. l. c. Heft* 3. *t.* 36. *Pers. Myc.* 1. *p.* 61. *Link Spec.* 1. *p.* 61. omnino convenit.

Habitus Botrytidis plerisque speciebus hujus generis communis, et hanc ad hoc genus refero ob fibras rigidas, contiguas, opacas, praecedentis propinquas. Greges sistit primo minutas, dein aliquot lineas latas, lineam altas. Sporidia minuta, primo conglutinata. *Ad ramos et truncos prostratos vere.* (v. v.)

8. *M. Resinae*, fibris aggregatis elongatis parce ramosis intricatis atris, sporidiis ad latera primo conglutinatis subovalibus pellucidis.

Racod. aterrimum. *Ehrenb.! silv. Ber. p.* 22. *Link Spec.* 1. *p.* 27. Status a pluviis prostratus.

Altissima, eximia generis species. In statu normali omnino erecta, stricta, $\frac{1}{2}$ unc. usque alta, atra, nitida, parcius ramosa, ramis elongatis; sporidiis ovalibus ad latera in globulos sub lente simplici jam facile discernendos conglutinatis. Talis legitur in foveis Resinae Pini Abietis, ubi ab injuriis atmosphaerae libera nascitur. Ad ligna magis prostrata et irregularis. Habitus Botrytidis. *Ad ligna resinosa Pini Abietis, vere perfecta.* (v. v.)

Distinctissima a *Sporocybe Resinae!*

9. *M. bicolor*, fibris aggregatis implexis ramosis ramis flexuosis, sporidiis subovatis rufofuscis in ramulis conglomeratis.

Campsotrichum bicolor. *Ehrenb.! in Link Jahrb. d. Gewächsk.* 1. *p.* 32. *t.* 1. *f.* 3. *Hor. Phys. Ber.* 1. *p.* 32. *Link Spec.* 1. *p.* 72. (at non Ceratonema bicolor *Pers. Myc. Eur.*)

Seriem cum praecedentibus omnino contiguam sistit. Fibrae breves, flexuosae, ramis brevibus divaricatis incurvis, ramulis brevissimis curvis, apice pellucidis; cum intricati crescant, habitus Racodiaceus. Sporidia magna, subovata, pellucida. *In Usnea barbata destructa, Berolini lectum.* (v. s.)

10. *M. unicolor*, fibris aggregatis ramosis atris, ramis divaricatis flexuosis, sporidiis subovalibus concoloribus in ramulis conglomeratis.

Campsotrich. unicolor. *Ehrenb.! in Hor. Phys. Ber. p.* 83. *t.* 17. *f.* 2. *Link Spec.* 1. *l. c.*

„Acervi inaequales, nigri, 2 lin. circiter lati, parum elevati. Fibrarum rami dichotomi, recurvi, flexuosi, patuli, longiusculi, capitulum quasi formantes. Sporidia minuta, subovata.“ Ehrenb. Fibrae basi discretae, simplices et erectae. *Hypophyllum in folio coriaceo Brasiliae.* Chamisso.! (v. s.)

IV. ACTINOCLADIUM. Ehrenb.

Ehrenb.! apud Link Jahrb. d. Gewächsk. 1. p. 32.

CHAR. Flocci solidi, subcontigui, rigidi, (fibrae), apice definite partiti. Sporidia simplicia, mox dispersa.

Obs. Genus minus cognitum, cum nexus sporidiorum cum floccis eorumque origo ignota sit. Sed jam eo memorabile est, quod sporidia a fibris segregata occurrunt. Evidenter est *Penicillii* analogon in hac serie.

1. *A. rhodosporum*, fibris raris nigris apice trifidis, sporidiis globosis violaceo-roseis.

Actinocl. rhodosp. *Ehrenb.! l. c. t. 1. f. 3. Pers. Myc. Eur. 1. p. 32. Link Spec. 1. p. 51.*

„Plantula locum gratissimo colore roseo tingit, quae nudo oculo farina apparet et sub microsc. comp. sporidia sistit globosa sat magna pellucida vage dispersa. Inter haec nascuntur fibrae segregatae, arcte adnatae, teretes, apice in ramos tres obtusos fissae.“ Ehrenb. Fibrae vegetae subannulatae apparent, non exsiccatae. Hae persistunt, sed sporidia evanescunt. *In trunco Carpini, Berolini* Ehrenberg. (v. s.)

Similem legi plantam in Betula alba prostrata, sed floccis tenuioribus.

Obs. An hujus generis: *Dematium fimbriatum*, suberectum, cinereo-atrum, fibris intertextis compressis fimbriatis. *Schwein. Car. p. 103.* Specimina a me visa speciem hujus seriei utique monstrant, sed diffracta fuerunt, ut genus rite determinare non liceat.

2. *A. Penicillus*, fibris fasciculatis in orbem sparsis nigris, apice penicillatis, sporidiis olivaceis.

Demat. Penicillus. *Schwein.! Car. p. 102.*

In macula arescente cinerea concentrice dispositi sunt caespituli discreti fibrarum basi inter se junctarum. Est itaque quasi Coremium hujus generis. *In foliis viridibus Lauri Sassafras in Carolina.* (v. s. incompl.)

3. *A. minimum*, fibris raris sparsis nigris, apice bifurcatis, sporidiis albis.

In macula arescente lutea omnino discretae nascuntur fibrae atrae, nudo oculo ut puncta minima atra vix conspicienda. Microscopio composito subjecta rigidae apparent, et apice bis furcatae. *Ad folia languescentia Ari in Gallia meridionali.* Montagne! (v. s.)

V. HELICOSPORIUM. Nees.

Nees Syst. p. 68. (sp. 1.) Helicotrichum. *Nees Act. Nat. Cur. IX. p.* 246. (spec. 3.)

CHAR. Flocci solidi, subcontigui, opaci (*fibrae*). Sporidia e floccis enata, spiraliter involuta, pellucida, mox libera, facile diffluentia.

Obs. Ob singularem sporidiorum formam, a qua nomen, genus ab Helminthosporio, cui perquam affine, separandum. Sporidiorum origo eadem. *Helicotrichum* differt ut tenuissima *Helminthosporia*, *Cladosporia* etc. a rigidioribus. Sporidia in sporidiola forsan dilabuntur; haec enim inclusa non vidi.

1. *H. vegetum*, fibris discretis subulatis simplicissimis strictis atris, sporidiis e viridi griseis.

H. vegetum. *Nees! Syst p.* 68. *f.* 69. *Pers. Myc. Eur.* I. *p.* 18. *Link Spec.* I. *p.* 51. *Corda apud Sturm. Deutschl. Fl III.* 11. *t.* 16. *Chev. Par. t.* 5. *f.* 3.

Caespites late et indeterminate effusi, tenues, subolivacei, demum vero omnino nigri. Fibrae basi discretae, tenues, erectae, strictae, subulatae, opacae, obscure annulatae. Sporidia filiformia, in annulum convoluta, utrinque truncata, triseptata. *In ligno quercino putrido, autumno.* (v. s.)

2. *H. obscurum*, fibris aggregatis simplicibus subulatis subflexis atris, apice septatis, sporidiis hyalino-griseis.

H. obscurum. *Corda l. c. t.* 15.

Caespites densi, subpulvinati, effusi, atri, inter praecedentis et sequentis medii. Fibrae praecedentis paulo longiores, minus strictae, passim flexuosae, apice ramisque in sporidia mutatis. Pro *Helic. vegeti* statu exoleto habui; e Cel. *Corda* recepi ut distinctum. *In ligno querneo etiam hoc reperi; in ramis exsiccatis.* Corda. (v. v.)

3. *H. pulvinatum*, fibris caespitoso-pulvinatis tenuissimis ramosis apice septatis, sporidiis luteo-viridibus.

Helicotrichum pulvinatum. *Nees Act. Nat. Cur. l. c. t. 5. f.* 15. *Link Spec.* 1. *p.* 33. *Pers. Myc.* 1. *p.* 19.

Sporidia praecedentium, tantum duplo minora; at flocci (vix fibrae) tenerrimi, arachnoidei, in pulvinulos minutos intricati, ramis patentibus instructi. *In truncis vetustis*, vere. (v. ic.)

VI. HELMINTHOSPORIUM. Link.

Sphaeriae, Byssi etc. spec. *Veterum.* Helminthosporium, *Link Obs.* 1. *p.* 8. *Nees Syst. p.* 67. Helminthosporium, *Pers. Myc. Eur.* 1 *p.* 17. Accedunt. Exosporium. *Link Obs* 1. *p.* 8. *Nees Conopleae sp. Link Obs.* 2. *p.* 33. *Pers. Myc. Eur.* 1. Sarcopodium. *Corda nec. Ehrenb.*

CHAR. Flocci solidi, contigui aut obscure annulati, rigidi (*fibrae*), persistentes, opaci. Sporidia sparsa, septata, recta; adnata, deinsecedentia, sporidiolis farcta. *Mycelium saepe gelatinoso-vesiculosum, stroma offerens.*

Obs. 1. Genus sporidiis vermicularibus, e quibus nomen, septatis luculenter distinctum. Sporidia hujus generis sporis Oedemii respondent, at minus evoluta, haud distincte rupta et sporidia effundentia, unde sporidia dicuntur. Evidenter orta sunt per metamorphosin ramulorum! A *Cladosporio* differunt tam fibris rigidioribus strictis, quam sporidiis persistentibus nec ramis in sporidia sol-

vendis. Cum terminologia nondum satis fixa sit, probe attendendum ad diversum sporidiorum evolutionis gradum; integer sporidiorum ramulus in Cladosporio sporidiis Helminthosporii respondet. Huic carpellae speciei olim proprium erit nomen, sed hoc mittimus, donec terminologiam ex integro tractare liceat. Analogon est in sequente serie Dactylium.

Obs. 2. Multae descriptae sunt hujus generis species perquam affines, quas quidem recepi, sed novas immiscere nolui, prius quam jam descriptarum historia vegetationis plenius explorata fuerit. Synonyma ante Linkium magis ad has omnes quam ad definitam speciem spectant. Sunt: *Mich. gen. t.* 90. *f.* 7, 9. *Dill. Musc. t.* 1. *f.* 11. (potissimum H. macrocarpon) Hypoxylon ciliare. *Bull. t.* 408. *f.* 1. Sphaeria ciliaris. *Sowerb. t.* 339. Byssus et Ceratonema rigidum. *Roth. Cat.* 1. *et* 2. — Sed tam vegetatione, quam fructificatione, ut etiam toto habitu, cum his congruunt aliae species, v. c. *Exosporium Tiliae*, *Sarcopodium atrum* etc. longe apud Auctores remotae. Unica horum differentia posita est in stromate evidentiori, sed multis formis mediis tollitur. Sic dicta sporidia Exosporii fibrae sunt (subinde tamen omnes in sporidia tument), quarum basi adnata vidimus sporidia Helminthosporii. Ceterum *H. Genistae* inter hoc et *H. simplex* ita intermedium, ut cui propius vix dicas. — Omnium insuper eximia affinitas cum vegetatione primaria Pyrenomycetum; *Exosp. Tiliae* cum *Sphaeria Dematio* conjunxerunt Alb. et Schwein.; minime vero nos, ut Cel. *Corda* nostra de *Sphaeria Dematio* β. *epixylo* Alb. et Schwein. verba intellexit.

* *Fibris cuspidatis, sporidiiferis.*

1. *H. rigidum*, fibris discretis validis subulatis subsimplicibus, sporidiis cylindricis demum fusiformibus minutis.

Podosporium rigidum. *Schwein.! in litt.* Demat. Crucigerae. *Schwein. Car. n.* 1325. e descript. et loco huc referrem, at sub hoc nomine accepi Cladosp. caespititium.

Nobilis species inter plebejos, maxima generis et distinctissima. Fibrae seta equina crassiores, stroma s. stipites facile dicendae, cum longitudinaliter saepe strigosae findantur, unde tam basi, quam apice penicellatae reperiuntur, sed a genere non tamen removendae. Hae fibrae omnino supra epidermidem nascuntur, gregariae quidem, sed inter se discretae, 2 lin. longae, strictae, rigidae, a basi bulbosa attenuatae, subulatae, simplices, opacae, atrae. Sporidia pro ratione fibrae solito minora, saepe in fibris tantum punctiformi-prominula, vulgo cylindrico-elongata, fibris pellucidiora; vidi demum matura secedentia fusiformi-clavata, obscure septata, et aqua adfusa sporidiola globosa. *Ad ramos Rhois radicantis in America boreali.* (v. s.)

2. *H. macrocarpum*, fibris aggregatis laxis subulatis simplicibus atris, sporidiis magnis fusiformi-clavatis pellucidis 6—8 septatis.

Dill. Musc. t. 1. *f.* 11. et var. antiqu. syn. huc potissimum spectant. H. macrocarpon. *Grev.! Crypt. Scot. t.* 148. *f.* 1.

Eximie evolutum et distinctum. Fibrae lineam et ultra longae, a basi effusa aequaliter attenuatae, strictae, at non rigido-fragiles, simplicissimae, licet dense aggregatae, nudo oculo facile discernuntur. Sporidia sursum fibris adhaerentia, pedicellata, quasi pendula, pellucida, magna, septis ultra quatuor. — Hoc mihi frequentius ceteris et simul melius evolutum. Num vero multa alia, tam a me lecta, quae omnia jam omitto, ne dubia in synonymis cumulentur, quam ab aliis picta certe differant, in medio relinquimus; non omnia, quae, quavis aetate observata, sub microscopio differunt, distinguenda putarem. *Ad ramos dejectos, v. c. Rubi idaei, Sueciae passim; etiam Galliae* Mougeot. (v. v.)

3. *H. subulatum*, fibris aggregatis subulatis subsimplicibus strictis nigris, sporidiis magnis clavatis incurvis 3—4 septatis.

H. subulatum. *Nees! Nov. Act. Ac. Cur. IX. t. 5. p. 242. f. 13. Pers. Myc. 1. p. 18. Link Spec. 1. p. 48 Corda apud Sturm. Deutschl. Fl. III. Abtheil. H. 11. t. 14.*

Praecedenti affine; at minus, nec tam effusum, nec fibrae tam discretae. Sporidia eandem habent figuram, at minus pellucida sunt septaque pauciora. Ab *H. velutino* utique *diversum*, sed cum sequenti forte melius ut prioris varietas considerandum. *Ad ramos vetustos quercinos* (v. s. misit Cel. Kunze cum plurim. spec.)

4. *H. cylindricum*, fibris aggregatis tenuibus simplicissimis in apicem tenuissimum productis atris, sporidiis cylindricis 3—4-septatis.

H. cylindricum. *Corda l. c. t. 11.*

„Maculas sistit effusas, saepe unciales, fuscas, sericeas. Fibrae simplicissimae, perlongae, tenues, longe acuminatissimae, strictae, opacae. Sporidia cylindrica, pellucida, acuta l. obtusa, in aqua diffluentia.“ *Ad ligna vetusta Faginea.* (v. v.)

5. *H. Tela*, fibris intricatis simplicibus longe cuspidatis fuscis, sporidiis clavatis 4—5 septatis.

H. Tela. *Corda l. c. t. 10.*

„Fibrae tenues, opacae, subannulatae in telam laxam fuscam, a ligno facile solvendam, intricatae. A priori aliquantulum insuper differt fibris multo brevioribus, sporidiis clavatis.“ *Ad ligna exsiccata, raro.* (v. ic.)

6. *H. microtrichum*, fibris aggregatis simplicibus crassis subulatis aequaliter acuminatis atris, sporidiis clavatis maximis fibra paulo brevioribus.

H. microtrichum. *Corda l. c. t. 12.*

„Greges effusae, tenues, opacae, atrae, facie pulveracea. Fibrae rigidae, fragiles, opacae, basi dilatatae, saepe curvatae, priorum robustiores at

breviores. Sporidia triseptata, fusiformi - clavata, fusco-pellucida." *In ligno querneo.* (v. ic.)

7. *H. pellucidum*, fibris aggregatis ramosis fusco-nigris, sporidiis fusiformibus substipitatis. *Link l. c.*

„Maculae secundum longitudinem praecipue effusae, fusco-nigrae, e floccis brevibus compositae. Sub micr. comp. flocci apparent ramis paucis, pellucidi, superne septigeri. Sporidia pellucida, uti flocci, stipitata procul dubio, quia uti sporidia e ramulis septigeris oriuntur, quae cum solvuntur partem ramuli secum auferunt." Species ob affinitatem cum *H. nano* et *simplici* potius forsan ad sequentem sectionem referenda. *In ramulis dejectis, Lipsiae.*

8. *H. Vaccinii*, fibris aggregatis subulatis opacis atris, stromate crassiusculo junctis, sporidiis obovatis pellucidis vix septatis.

Maculas sistit aterrimas opacas, sub lente simplici velutinas, primo subrotundas, dein confluentes, caules ambientes. Fibrae stromate vesiculoso-grumoso connexae, quo ad ultimam sectionem generis abit, sed sporidia in ipsis fibris enata. Fibrae strictae, opacae, haud septatae, sed obscure tantum annulatae. Sporidia rara sunt, sed evidenter hujus generis; vidi tam in specim. ab optimo *Mougeot* (n. 163.) missis, quam in aliis a me lectis. Maxime accedit ad *Sphaeriam Vaccinii* Sow., quae verum Sphaeriae nucleum monstrat, ut pro ejus statu haberi posset. *Ad caules Vaccinii Vitis ideae, vere.* (v. v.)

Obs. Hanc, licet novam, inserni speciem, cum eximiam in hoc genus spargat lucem, alibi ulterius exponendam. — Hujus loci porro esse *Sarcopodium atrum* Corda *l. c. Heft* 9. *t.* 64. haud dubium nobis videtur. Cum *Sarcopodio* Ehrenb.! genere conjungi non debet, nec ut *asporum* in statu perfecto observatum esse potest.

** *Fibris obtusis sporidiiferis.* (H. pellucidum.)

9. *H. velutinum*, fibris dense aggregatis subramosis obtusis atris, sporidiis magnis obovato-clavatis 3—4 septatis.

a. *Syn. Vet. vide supra in Obs.* — H. velutinum. *Link Obs. 1. p. 8. f. 9. Spec. 1. p. 47. Nees Syst. f. 65. B. Chev. Par. t. 4. f. 2. Schmidt et Kunz. exs. n. 74. Grev. Fl. Crypt. Scot. t. 148. f. 2.*

b. minus. H. minus. *Link Obs. 2. p. 39. Spec. 1. p. 48.*

Species primaria, saepe cum proximis commixta, statura *H. macrocarpo* proxima, a quo differt fibris paulo brevioribus minus strictis, saepe ramosis, obtusis, in pannum velutinum condensatis, sporidiis clavatis pauciseptatis. Fibrae apice luculenter septatae, basi bulbillosa e stromate tenui expanso. *Ad ramos emortuos, passim. Per annum.* (v. v.)

10. *H. nanum*, fibris sparsis simplicibus furcatisque obtusis nodosis, sporidiis subcylindricis 3—4 septatis, flocco parum brevioribus.

H. nanum. *Nees Syst. p. 67. f. 65. Nov. Act. Ac. Nat. Cur. IX. p. 243. t. 5. f. 13. B. Link Spec. 1. p. 49.*

Maculas sistit tenues, velutinas, atro-nitidas, praecedentis longe humiliores. Fibrae erectae l. parum curvatae, apice obtusae. Rami versus apicem abeunt in articulos aliquot plus minus distinctos, quorum septa contrahuntur eosque forma ovali oblongave ab invicem sejungunt. Tum apicibus, aucta diametro, incrassatis rami ipsi abeunt in sporidia oblonga cylindrica obtusa 3—4 annulata, colore fuscidulo pellucente insignia. Sporidia, dum immatura secedunt, ramulum secum auferunt et inde caudata apparent. *Nees. In ligno putrescente.* (v. s. a Kunz. missum.)

11. *H. simplex*, fibris aggregatis simplicibus subramosisve obtusis atris, sporidiis fusiformibus acutis pellucidis, septis evanescentibus.

H. simplex. *Kunze! Nees Nov. Act. Ac. Nat. Cur. IX. p.* 241. *t.* 5. *f.* 11. *Pers. Myc.* 1. *p.* 18. *Link Spec.* 1. *p.* 49. *Corda l. c. Heft* 11. *t.* 13.

Incipit seriem a praecedentibus ad *Exosporium Tiliae* etc. Link tam luculenter transiens, ut nil evidentius. Specimina mihi obvia, a *Mougeotio* missa etc. in fasciculis minutis primo erumpentia sunt, dein latius confluunt in maculas nudo oculo sordem nigram modo referentes. Fibrae plerumque simplices, aequales, obtusae, vegetae, annulatae, diutius exsiccatae omnino contiguae apparent. Sporidia *Stilbosporae* omnino referunt, primo pauciseptata, dein septis evanescentibus ipsa olivaceo-pellucida. *In ligno vetusto Salicis frequens.* (v. v.)

Heic obviam veniunt varia *Cladosporia*, ut magis ex fibrarum habitu, quam acutis notis distinguantur. In *Typha* v. c. occurrit planta charactere *Helminthosporii*, ceterum vix a *Clad. herbarum* distinguenda. *Helm. tenuissimum*, *Cheiranthi* etc. genere ab utroque removere, ne limites et affinitas prorsus turbarentur, coactus fui.

12. *H. Genistae*, fibris simplicibus obtusis atris obscure annulatis, stromate tenui seriatim erumpente junctis, sporidiis clavatis subseptatis.

Inter praecedens et sequens perfecte intermedium, ut cui propius vix dicas. Fibrae et sporidia in eis enata ad praecedens accedunt, facies vero et crescendi modus omnino sequentis, sed in series elongatas per epidermidem erumpit, unde stroma extenuatur. *In ramis Genistae scopariae frigore necatis.* Mougeot. (v. s.)

*** *Fibris primariis in sporidia mutatis, unde sporidia sessilia.* Stromate evidentiore instructa.

13. *H. Tiliae*, fibris simplicibus obtusis obscure annulatis fusco-atris, stromate convexo erumpente fasciculatis, plurimis in sporidia subclavata mutatis.

Sphaeria Dematium, *β. Alb. et Schwein. Consp. p.* 46. Exosporium Tiliae. *Link Obs.* 1. *p.* 8. *t.* 1. *f.* 8. *Spec.* 2. *p.*

121. *Nees Syst. t. 2. f. 30. Schmidt et Kunz. exs. n. 43. Fries Scler. Suec. n. 178. Grev. Crypt. Scot. t. 208.* Conoplea Tiliae. *Pers. Myc. Eur. 1. p. 12.*

Facillime dignoscitur tuberculis minimis punctiformibus atris sub lente simplici hispidis e ramulis emortuis Tiliae ubique erumpentibus. — Non ex externa facie, quae omnino hujus generis, v. c. *H. Genistae*, tantum huc retuli. Stroma saepissime tectum vidi fibris veri Helminthosporii, et certissime, rarius licet, *ex his ipsis ad basin enata sporidia exactissime Helminthosporii, obovato-clavata, quadriseptata, magis pellucida.* Fibras video longiores, tenuiores quam omnes sistunt icones; stroma non semper tam elevatum quam eaedem referunt, ceterum plus minus in his plantis variat. Saepe fibrae ipsae in sporidia mutantur. E stromate profluunt conidia copiosissima opaca, quae ex analogia *Sphaeriae Dematii* sporidia potius haberes, sed multo minus explicata sunt nec distincto perithecio cincta. Cfr. Obs. ad Dematium. *Loco indicato hieme praecipue, ubique.* (v. v.)

14. *H. clavuligerum*, fibris simplicibus strictis acutis obscure annulatis nigris, cum sporidiis clavatis septatis stromati convexo erumpenti innatis.

Conoplea clavuligera. *Link Obs. 2. p. 33. Pers Myc. Eur. 1. p. 12.* Exosporium Tiliae. *Link Spec. 2. p. 121.* ad spec. Kunzei!

Praecedenti simillimum ut nudo oculo haud distinguas, at certo diversum. Sporidia e basi fibrarum passim enata. — *Helminthosporium* omnino censeo; stroma in erumpentibus per epidermidem in omnibus hujus seriei speciebus evidentius fit; evanescit in lignicolis, tenuissimum in *H. velutino* supra cortices nato e. s. p. *Ad ramulos emortuos Salicis albae, frequens.* (v. v.)

15. *H. Eryngii*, fibris simplicibus strictis acutis nigris, stromati tenui elongato subinnato cum sporidiis obovatis septatis insidentibus.

Conoplea Eryngii. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 11, Exospor. Eryngianum. *Chev.! par. t.* 3. *f.* 7. in statu sterili pictum a Dematiis non distinctum.

Dematio seriato simile, praecedenti cognatum, sed ad verissima revergens Helminthosporia; nam stroma tenue effusum. Fibrae subcontiguae, breves, simplices, acutae, atrae. Sporidia fibris immixta, raro earum basi adnata. *Ad caules siccos Eryngii in Gallia.* (v. s.)

Multa species olim addendae. — *Sporidermia*, quae e sat similibus constant sporidiis, nullum priorum habent systema vegetativum. — Reliqua Exosporia Link non ad hoc, sed ad sequens potius pertineant genus, nisi ob fructificationem internam perfectiorem ad Pyrenomycetes referre malles. Non ad omnia dubia solvenda, tantum indicanda, hactenus sufficiunt nostrae observationes. — Quam cauti simus ad has plantas sub microscopio *tantum* determinandas exemplum quoque sistit *Sphaeria typhina* Pers., cujus *veri asci erumpentes* pro fibrarum Exosporii analogis sporidiis sumti sunt, unde ut genus affine (*Typhodium* Link) proposita.

VII. DEMATIUM. Pers. ex em.

Byssi spec. *Roth. etc.* Dematium *Pers. disp. p.* 41. pro parte, sed e charactere: „fibris erectis pulverulentis" plene. *Myc. Eur. p.* 13. exclus. Cladosporiis. Recentioribus singula descripta species novum genus; nominibus vero omnibus nimis angustis Persooniarum antiquissimum, notissimum, huic generi vindicavi. Est quoque totius sectionis genus, ad quod omnia reliqua quondam relata fuerunt, centrale.

CHAR. Flocci solidi, contigui aut obscure annulati, rigidi; stricti (*fibrae*). Sporidia simplicia, globosa, mox libera, fibris adspersa. *Sporidia juniora passim concatenata, dein conglomerata reperiuntur.*

Obs. Dematium, a δεμα dictum, totius sectionis *Dematicorum* fuit collectivum nomen; nos ita restriximus, ut medium inter *Helminthosporia* et *Cladosporia* sistat genus, *Sporotrichi* analogon. Fibrae Helminthosporiorum tam similes, ut vix distinguas, sporidia vero diversa, fere *Myxotrichi*, at non conglutinata. Ut omnia haec genera in Pyrenomycetes abeunt, Dematium tam luculenter, ut de limitibus adhuc dubitetur. Harum intermediarum formarum typus est *Sphaeria Dematium* P., quae junior fibras offert conidiis?, sporidiis Dematii simillimis (ut videre licet in accurata *Trichostromatis* icone *Corda apud Sturm.* Heft 9. t. 62, quod ex hac grege est), evidenter adspersas. In hoc statu ad Dematia, licet origo a sporidiis Dematiorum diversa sit, omnino referas, ut *Exosporium Tiliae* etc. ad Helminthosporia, cum stromatis h. e. mycelii plus minus perfecta explicatio inter Dematieos parvi momenti sit; sed similia conidia ostiolis multarum Sphaeriarum inspersa sunt et ipsa demum intus sporidia perfecta septata (videas iconem *Vermiculariae trichellae* s. *Exosporii* Link apud Grev. Crypt. Scot. t. 345) enituntur. In *Exosp. Tiliae* sporidia externa perfectius explicata, conidia stroma absque perithecio efficiunt; in *Exosp. Dematio* sporidia interna, perithecio demum cincta, luculenter perfectiora, hinc externa fugacia conidia diximus. Duplex esse sporidiorum in eadem planta genus omnino denegamus. At hanc rem in Mycologia theoretica plenius persequi in animo est. — Species multas neglexi, ut descriptas accuratius exponere liceat. Quamdiu enim vegetationis et morphoseos theoria non clara, multae novae species magis obfuscant, quam illustrant.

1. *D. virescens*, fibris aggregatis subsimplicibus virescentibus, sporidiis hinc inde congestis globosis concoloribus.

Dematium virescens. *Pers. Syn. p. 678. disp. meth. p. 41. Myc. Eur. 1. p. 14. Alb. et Schwein. Consp. p. 368.* —

at non Sporotrich. virescens. Link. Chloridium viride. *Link! diss.* 1. *p.* 11. *f.* 16. *Spec.* 1. *p.* 38. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 9. Chlorid. dispersum. *Nees! Syst. p.* 66. *f.* 64. Dematium asserculorum. *Pers. Myc. Eur. l. c.*

Caespites sistit late effusos, indeterminatos, tenues, colore flavoviridi aut viridi-olivaceo insignes. Fibrae breves, vulgo omnino simplices, sursum attenuatae, acutae, e sporidiis adspersis farinaceae; adfusa aqua sporidia diffluunt. *Ad asseres, ligna vetusta* etc. *passim, praecipue vere.* (v. v.)

2. *D. griseum*, fibris aggregatis fusco-nigris, sursum simplicissimis nudis, sporidiis oblongatis griseis prope basin conglomeratis ramulos brevissimos obtegentibus.

Chloridium griseum. *Ehrenb.! silv. Ber. p.* 23. *Link Spec. t. p.* 38. Dematium. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 15. Chaetopsis Wauchii. *Grev. Crypt. Scot. t.* 236. ipso Auctore observante.

Plantula sub microscopio elegantissima, crescendi modus praecedentis. Fibrae strictae, setaceo-subulatae, a basi ad apicem aequaliter attenuatae, primo omnino simplices apparent, sed infra medium, observante *Greville*, exserunt ramulos brevissimos, a sporidiis oblongatis pellucidis, quae sustinent, obtectos. Ob horum colorem griseum fibrae bicolores apparent, nam superior et longior fibrarum pars nuda est. *In truncis putridis ad terram prostratis, saepe cum Sphaeria rubiginosa, vere.* (v. v.)

Forte hujus loci sit non satis descriptum *Dematium episphaerium*, parvum, erectum, fasciculare fruticulosum subpulveraceum cinereum, setulis parce ramosis superne laevibus. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 369, quod etiam societate Sphaeriae rubiginosae gaudet.

3. *D. decorticans*, fibris aggregatis subulatis subsimplicibus atris, superne nudis, basi sporidiis globosis copiosissimis coacervatis obtectis.

Maculas sistens latissime effusas, atras, sub lente modo hispidas, occupat plagas epidermide destitutas ramorum; videntur fibrae ipsae ad decorticationem contulisse. Fibrae strictae, subulatae, te-

nues, simplices, discretae, opacae, apice vero pellucidae et exsertae nudae. Variant fibrae infra medium divisae, non vero apice uti *Cladosporiorum*, cum quibus facile confunderes. Sporidia minuta, globosa, opaca, saepe moniliformi-concatenata, ut in *D. griseo* jam observavit acutiss. Ehrenb. Novam hanc, contra legem praescriptam, inserui speciem, cum luculenter demonstret *Conopleam hispidulam* ab hoc genere separari non posse. *Ad ramos arborum dejectos v. c. Acerinos, autumno.* (v. v.)

4. *D. Castaneae*, fibris caespitosis erumpentibus subsimplicibus rigidis intricatis atris, sporidiis globosis subconcatenatis concoloribus.

Demat. Castaneae. *Schwein. Car. p.* 102. *e descr.* (transmutatione, ut videtur, sub hoc nomine accepi *D. Crucigerae* et versa vice.

Admodum spectabile, habitu Helminthosporii, sed fibrae exacte hujus generis, sporidia ad Cladosp. accedunt. Fibrae longae, aequales, basi haud bulbillosae, subsimplices, intricatae, „nitentes" l. c.; opacae sub micr. et continuae. Stipantur in caespites oblongos, transversim per epidermidem erumpentes. Sporidia in siccis parca, etiam ut in *Dem. Coelosporio* inspersa. *Ad ramos, Castaneae in America boreali.* (v. s.)

5. *D. sparsum*, fibris sparsis raris subulatis simplicissimis nigris, sporidiis pellucidis hinc inde conglomeratis.

Ne desit singulare generis Membrum, insignem hanc speciem, licet novam, addo. Fibrae (stipitem Sporocybes referunt) nudo oculo aegre observantur, a basi ad apicem aequaliter attenuatae, nigrae, adfusa vero aqua fusco-pellucidae. Sporidia globosa, omnino pellucida, densis sporis hinc inde adspersa. *Ad caules siccos, vidi in Tropaeolo* etc. (v. v.)

6. *D. hispidulum*, fibris fasciculatis simplicibus nigris, sporidiis globosis concoloribus opacis, versus basin conglomeratis.

Byssus inquinans. *Roth. Cat. Bot.* 1. *p.* 216. *n.* 5. Ceratonema. *ib.* 2. *p.* 252. Conoplea hispidula. *Pers.! Syn. p.* 235. *Ehrenb. silv. Ber. p.* 23. *Schmidt et Kunz. exs. n.* 159. *Fries Scl. Su. exs. n.* 380. *Desm. Exs. n.* 163. *Link Spec.* 1. *p.* 46. non vero *Alb. et Schwein.* — *nec Corda.*

Fasciculi orbiculares l. parum elongati, $\frac{1}{2}$—1 lin. lati, sparsi, fibris a basi aequaliter attenuatis simplicissimis longe exsertis hispidi. Sporidia matrici incumbere videntur, sed *Dem. grisei* more infra medium circa fibras dense congesta vidi, subinde quoque seriata, opaca. Primo obtutu *Arthrinium* facile fingas, sed Myxotrichis magis est affine. *Ad folia exsiccata Arundinum, Tritici repentis* etc. *copiose, vere.* (v. v.)

Conoplea hispidula *Corda apud Sturm Heft* 7. *t.* 31. est Excipula strigosa, Fr. exs.

7. *D. Coelosporium*, fibris aggregatis subramosis atris, sporidiis globosis inspersis ore subrotundo dehiscentibus.

Helminthosporium cavispermum. *Link Obs.* 2. *p.* 38. Coelosporium fruticulosum. *Link Spec.* 1. *p.* 46. Demat. articulatum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 16. non Syn.

Habitus praecedentis. Caespites globosi, fibris longiusculis nudo oculo distinguendis. Stroma nullum. Fibrae densissime aggregatae, rigidae, opacae, apice divergentes, ramosae et subramosae. Sporidia hinc inde adspersa, subglobosa, cava. *Link.* Quod legi, junius forsan fuit, sporidia densiora; orificium non observo; habitus, cui multum fido, generis. Si sporidia distincte includerentur, esset Oedemium. *In culmis et foliis graminum vere. Autumno non legimus.* (v. v.)

8. *D. lineatum*, fibris aggregatis ramosis atris basi stromati tenuissimo lineatim expanso insidentibus, sporidiis inspersis globosis pellucidis.

Medium statum sistit inter *Dematia* vera, a quibus haud separandum, et *Vermicularias* s. *Sphaeriam Dematium P.* cum affin. vel omnino idem mem-

brum hujus generis ac Helminth. *Genistae* praecedentis, cum quo etiam stromate lineato convenit, licet hae plantae ceterum non affines sint. Nudo oculo strias sistit, saepe parallelas, atras in foliis graminum sub lente simplici hispidas. Sub microsc. fibrae erectae, contiguae, ramulosae, sporidiis pellucidis adspersae. *Frequentissime in foliis Poae aquaticae* Linn., *autumno.* (v. v.)

†. *D. gramineum*, fibris fasciculatis simplicibus stromate tenuissimo junctis nigris, sporidiis globosis griseis dense inspersis.

Dem. gram. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 16. Cladospor. gramin. *Link Spec.* 1. *p.* 42. (Exospor. hispidulum *Link Spec.* 1. *p.* 122.??)

Saepe vidi, sed minus certum censeo tam ob affinitatem cum praecedentibus, quam ob nexum cum vegetatione primordiali variarum *Sphaeriarum*; simillimae sunt comae, etiam pulvere adspersae, in *Sph. trichella*, *phaeocome*, *Ilicis* (in quo statu haec *Sphaer. penicillata* Kaulf.) etc. *Ad stipulas dejectas.* (v. v.)

Ad hanc seriem accedunt *Exosporia* sporidiis longissimis filiformibus Link pleraque (*Vermiculariae* Nob. *Trichostromata Corda*) ut *Sphaeria Dematium* etc., omnino ut Exosporia vera ad Helminthosporia. *Fibrae minime sporidia dicendae;* exstat enim praeter has duplex fructificatio, tam pulvis fibris inspersus, ut in Sph. Dematio juniori quoque vidimus, quam sporidia septata etc., immo asci, in ipso tuberculo. Ad verum locum designandum plurium indigemus observationum.

VIII. POLYTHRINCIUM. Kunze.

Kunz. Myc. Heft 1. *p.* 13. *t.* 1. *f.* 8.

CHAR. Flocci solidi, corticati, rigidi (*fibrae*) demum moniliformes. Sporidia e stromate inter

fibras oriunda, semipellucida, didyma, demum floccis inspersa.

Obs. Unica rite cognita species epiphylla est, stromate spurio instructa et eadem ratione cum Pyrenomycetibus cohaeret ac reliqua Dematieorum genera. Pluribus inventis speciebus character fortasse reformandus, v. c. stroma, floccorum forma (vidi etiam subcontiguos aequales in praesente specie) facile accidentalia sunt; sporidia essentialia, ut in analogis *Trichothecio* et *Scolicotricho*. Nomen a πολυς et θριγκος derivatur.

1. POLYTHRINCIUM. *Trifolii.*

Farinaria Trifolii. *Sowerb. t.* 396. *f.* 7. Polythr. *Kunz.! l. c. Deutsch. Schwamm. n.* 121. *Grev. Crypt. Scot. t.* 216. *Link Spec. 1. p.* 43. *Desmaz. exs. n.* 162. *Moug. et Nestl. n.* 688. *Corda apud Sturm. Heft* 11. *t.* 9.

Caespituli gregarii ac distincti, nudo oculo punctiformes, nigri. Flocci simplices, sursum incrassati, ex articulis concatenati, semipellucidi, basi stromate spurio juncti; at vidi etiam fibras aequales etc. Hinc explicantur sporidia minuta, ovata, fibris demum adspersa. Saepe cum socia *Sphaeria Trifolii* (S. Trifolii *Bern. Biv.* etc.) jungitur. *In foliis languescentibus Trifoliorum plurimorum, autumno.* (v. v.)

IX. CLADOSPORIUM. Link.

Byssi spec. *Veter.* Dematii spec. *Pers. Syn. et Myc. Eur.* Acladium. *Link diss. 1. p.* 10. Cladosp. *diss. 2. p.* 37. *Nees Syst. p.* 66.

CHAR. Flocci solidi, corticati, contigui (*fibrae*), apice septati. Sporidia seriata, ramulorum instar adnata, articulis demum in sporidia simplicia dilabentibus.

CHAR. Oidii analogon in hac serie — et fibris tenuioribus hoc et sequentia genera ad Botrytideas

accedunt; sed huc pertinent e distinctione facta; primus obtutus ad praecedentem trahit nec non affinitas cum Sphaeriis. Nam *Clad. fasciculare* cum *Sphaeria nebulosa*, *Clad. epiphyllum* cum *Sph. maculari* e. s. p. intime connexa sunt. Cum a metamorphosi inferiorum mycetoidearum plantarum nil alienum censeam, haud negaverim has aeque ac *Polythrincium* Sphaeriae Trifolii, alterum esse Sphaeriarum citatarum evolutionis statum. Sed hae res caute et sedule in natura observandae; qui temere ex conjectura reduceret, etsi futurae observationes veritatem probarent, in errore esset. Testantur satis edita scripta, quae conjecturis fides! — Species hujus generis et plurimae et paucae distingui possunt, cum inter se majori connexa sint affinitate quam praecedentium; formae satis habitu distinctae acutis notis separari nequeunt. Descriptos exposui, novas neglexi. — Fibrae, ut decet, in statu normali erectae, facile collabuntur, in massam amorpham grumosam mutantur, fuliginem referentes; in hoc statu, optime monente Link, plurimas *Fumagines* Pers. e sectione secunda sistunt. Aliae vero *Fumagines* ortum ducunt e *Torulis*, *Gliotricho*, *Botrytide* e. s. p. Nomen a χλαδος et σπορος sumtum ob sporidia ramulos referentia.

1. *C. Smilacis*, fasciculatum, erumpens, incanum, fibris contiguis hyalino-pellucidis, apice sublobatis, stromate junctis.

Dematium Smilacis, *Schwein.! Car. n.* 1329.

Caespites minuti, ½ lin. lati, rotundi, compacti, distincti, sed lato et effuso agmine per epidermidem prorumpentes, colore incano insignes. Hic crescendi modus *Exosporii Tiliae* Link, cujus analogon est in hoc genere. Fibrae sub microscopio crassiores, breves, aqua adfusa radiatim expansae, ut in sequentibus quoque saepe vidi, lobatae potius quam ramosae, haud septatae, hyalino-pellucidae. Sporidia generis, de quo non dubito, licet non desint novi

characteres. *Per epidermidem Smilacis in Carolina.* (v. s.)

2. *C. fasciculare*, fasciculis minutis leviter erumpentibus, fibris apice flexis subseptatis, sporidiis conglobatis seriatisque concoloribus.

Dematium articulatum. *Pers. disp. t. 4, f. 2. Syn. p. 694. Alb. et Schwein. Consp. p. 365.* hujus omnino loci est! Citatur et ad Dem. Coelosporium et ad Moniliam sparsam. **Link.**

Maculas primo offert oblongas cinerascentes, habitu *Sphaeriae nebulosae*. E singula macula prorumpunt plures conferti fasciculi fibrarum, prorsus atri, fibris divergentibus, *Cladosp.* more sursum obscure septatis, subpellucidis. Sporidia magis congesta, quam ramulosa, sub microsc. pellucida; at certa species est. *Ad caules herbarum, praecipue Liliacearum, frequens. Aut. — vere.* (v. v.)

Dematium articulat. *Sowerb. t. 400.* haud bene pictum est.

3. *C. epiphyllum*, fibris distinctis rigidis atris erumpentibus apice flexis, in macula grisea circinantibus, sporidiis olivaceis.

Demat. epiphyllum. *Pers. Syn. p. 695.* — at vulgo prorsus confunditur cum *Cl. herbarum* in foliis longe vulgatiori. *Fries Scl. exs.*

Ob fibras rigidas persistentes atras Dematii habitum prae se fert, sed apice flexae sunt et septatae. Praecipue facile dignoscitur crescendi modo; e macula subrotunda grisea erumpit. Adest itaque heic, ut evidentius in praecedente, stromatis indicium. *Ad folia sicca populina, vere.* (v. v.)

4. *C. herbarum*, caespitibus effusis mollibus densis e viridi olivaceo-nigris, fibris collabentibus sporidiisque olivaceis pellucidis.

Byssus caespitosa. *Roth. Cat. Bot. 1. p. 215.* Demat. herbarum. *Pers. disp. p. 75. Syn. p. 699.* Acladium. *Link dis. 1. p. 39. Nees Syst. p. 67, f. 64. B.* Dematium conicum. *Schum. Saell. 2. p. 445.* status abnormis. Cladosp. herbarum. *Link Spec. 1. p. 39.*

b. Caespitibus crassioribus secedentibus. *Cladosp.* solutum. *Link l. c.* (saepe vidi in Convallariis etc.)

Nulla forsan exstat vulgatior planta, inde etiam plurimae formae, quas separent qui lubent. Facile dignoscitur caespitibus densis maculaeformibus, primo subrotundis, dein confluendo late effusis, colore primo viridi, mox olivaceo, dein fuligineo nigro (pure atrum non vidi). Fibrae parum ramosae aut omnino simplices, apice septatae, basi fasciculatim nexae, pellucidae; exoletae prostratae et fumaginem sistentes. Sporidia vario modo in ramulos copulata, secedentia. *Non tantum omnes caules et folia languescentia et emortua infestat, sed etiam fungos exsiccatos, cortices, ligna recenter secta, varias res domesticas e. s. p. vere ubiquitarium. Viget autumno — vere.* (v. v.)

β. *C. nigricans*, caespitibus densis compactis nigricantibus, fibris subobscuris.

Byssus nigricans, *Roth. l. c. p.* 216. Demat. Hippocastani, *Pers. Syn. p.* 698. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 368.

Habitu a praecedente differt, sed notae acutae desunt. *Ad corpora duriora.* (v. v.)

Obs. In *Convallariae multiflorae* foliis singularis occurrit plantula, nempe *Puccinia Convallariae* Schum. Saell. 2. p. 235., quae plerisque sine dubio novum genus et mih ipise diu pro *Sporodesmii* specie habita sed ita sensim in *Clad. herbarum* transire videtur, ut de limitibus dubius sim. Intime simul connexa est cum *Helminthosporio tenuissimo*, *Cheiranthi* etc. Hae species tantum ab Helminthosporiis recedunt, ut omnes sub Macrosporii genere recipiam. Ceterum sporidiorum formae, huic generi normaliter semper globosae, parum fido; non tantum ut in *Cl. soluto* Link immixta vidi ovalia, sed etiam omnia oblonga v. c. in specc. in *Typha*, etiam in *Panico italico* natis et a Mougeotio missis. Pendere videntur e pluribus coalitis. — Non species distinguo ad characteres, sed species historia diversas characteribus circumscribere studeo.

5. *C. atrum*, caespitibus effusis atris, fibris strictis apice subinflexis, sporidiis concoloribus fusco-pellucidis.

Cladosp. atrum. *Link Spec. I. p.* 40. Demat. herbarum, δ. lignorum. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 368.

Praecedenti similis species, sed latius effusa, crassior et colore primitus atro diversa. Sporidia

sat copiosa, „rariuscula“ ex Link. Synonymia mihi difficilis. Pro *Cl. atro* Link Obs. 2. p. 38. (lignatili) olim habui; ex hoc *Dematium atrum* Pers. Myc. Eur. 1. p. 14. Sed in *Spec. l. c.* hoc caules tantum incolere dicitur, descriptio vero melius nostrae respondet. An primitivum *Cl. atrum*, Cl. polysporium *Link l. c.?* Hujus descriptionem aegre quoque a nostro discerno, sed suspicor Dematii speciem. *Ad ligna vetusta. — In caulibus plantarum* ex Link. (v. v.)

6. *C. fuscum*, caespitibus effusis compactis fuscis, fibris apice ramosis collabentibus, sporidiis hinc inde adspersis.

C. fuscum. *Link Spec.* 1. *p.* 40.

Tomentum format fuscum, durum, late investiens. Flocci dense aggregati, transparentes, apice multo magis ramosi quam in praecedentibus, luculentius septati. *Ad caules Rosarum, Germaniae.*

7. *C. umbrinum*, caespitibus effusis contiguis tenuibus velutinis umbrinis, fibris brevibus flexis, sporidiis glomeratis.

Botrytis pulvinata, *Link Spec.* 1. *p.* 55.?

Densa et contigua sericea tela fungos obducit; forte huic debetur phosphorescentia *Ag. olearii*. Fibrae contiguae, simplices l. ramosae, colore peculiari olivaceo-umbrino insignes. Sporidia conglomerata ut in Botrytide, sed certe hujus generis est species. Synonymon dubium, ill. Auctor ipse de genere dubitat. *Ad Agaricum olearium in Gallia meridionali.* Montagne. (v. s.)

8. *C. Fumago*, caespitibus effusis tenuibus, mox collapsis maculaeformibus, fibris ramosis pellucidis, sporidiis primo seriatis, dein inspersis.

Fumago. *Pers.!* Cladosp. *Link Spec.* 1. *p.* 46.

Frequentissime, praecipue versus autumnum in foliis languescentibus, et in Caldariis per totum annum observantur maculae amorphae, nigrae, quasi

fumo exposita fuissent folia, quae micr. lustratae massam sistunt grumosam, fibris paucis intertextam. Certissime vero hae saepius oriuntur e Cladosporio praesente, cujus in statu collapso sunt plurimae recedentes formae, olim facile separandae. Quae apud nos occurrit, tenuis est, fibris tenellis; in Europa australi ad folia *Oleae*, *Citri* etc., crassiores habet maculas et fibras. e. s. p. *Ad folia languescentia.* (v. v.)

Obs. Cl. *tenerrimum* l. c. a genere multum recedere videtur! *Clad. aureum* Link Obs. 11. p. 38. ad analogon *Oidii* genus refero. Species dubias, e Persoonio receptas, nempe *Cl. fuscatum*, *grumosum*, *gramineum*, supra attulimus.

X. MACROSPORIUM. Fries.

CHAR. Sporidia erecta, stipitata, multi-septata, surgentia e floccis (mycelio) tenellis, septatis, evanescentibus.

Obs. Charactere hoc genus a praecedentibus admodum recedit, sed affinitate et habitu *Cladosporio* certe proximum. Sporidia ad *Helminthosporii* potius quidem accedunt, sed vegetatio longe alia et sporidia nullis sporidiolis farcta sunt. Potius fingerem, licet non viderim, articulos in sporidia secundi ordinis solvi. — Ex omni vero parte cum *Sporidesmio* congruit; differt tantum floccorum praesentia. Hos floccos, saepe decumbentes, pro mycelio potius habeam, cum a fibris hujus seriei abunde differant; fibrae ipsae in sporidia abiisse videntur; flocci evanescunt. In aliis speciebus tamen ad praecedentia genera magis appropinquantur, ut de loco dubium non restet. Nomen e sporidiis maximis.

1. *M. Convallariae*, floccis erectis fugacibus, sporidiis obovatis olivaceo-nigris, septis intermediis saepius 2—3 serialibus; pedicello brevi pellucido.

Puccinia Convallariae. *Schum. Saell.* 2. *p.* 235.

Nudo oculo sistit maculas byssaceas, indeterminatas, facile secedentes, colore olivaceo. Habitus hujus et duarum sequentium potissimum *Cladosporii*, et in hac specie eidem similes sunt flocci, ut statum mutatum facile fingas. Sporidia vero in adultis maxime recedunt; fasciculos sistunt *Phragmidio* Link simillima, absque floccis immixtis; ipsa obovato-clavata, nigricantia, adfusa aqua olivaceo-pellucida, stipite brevi, pellucido, deorsum attenuato, basi truncato. Sporidia minora transversim tantum septata, sed majora basi modo et apice simpliciter septata; medio autem duplici aut triplici serie, loculis rotundatis. Hujus ideam praebet *Kaulf. Farrenkr. f.* 17! *In foliis languidis autumno tantum, fugax enim est. Frequens in Convallaria multiflora.* (v. v.)

2. *M. tenuissimum*, floccis adscendentibus fugacibus, sporidiis lanceolatis 3—5 septatis pellucidis, pedicello fusiformi.

Helmisporium tenue. *Kunze! in litt.* H. tenuissimum. *Nees Nov. Act. Ac. Natur. Cur. IX. p.* 242. *t.* 5. *f.* 12. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 18. *Link Spec.* I. *p.* 50. *Desmaz. exs. n.* 212. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 929.

A praecedente omnino diversum floccis tenellis, ramosis, undique septatis; haud ita prorsus evanescentibus; sporidiis magis regularibus, clavato-lanceolatis, simpliciter septatis, pedicello longiori graciliori. Habitus insuper longe alius, maculas offerens tenuissimas haud secedentes. *In caulibus plantarum haud raro; etiam, ex obss.* Desmazieri! *in petalis Dianthi, Ranunculi asiatici etc.* (v. v.)

3. *M. Cheiranthi*, floccis decumbentibus fugacissimis, sporidiis pyriformibus articulato-septatis nigris, pedicello brevi.

Puccinia Cheiri. *Lestib. Bot. Belg.* Helmisporium. *Libert apud Desmaz.*! *exs. n.* 213. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 929.

Maculas sistit fuliginoso-nigras, arcte adnatas nudo oculo parum conspicuas. Flocci primarii ra-

mosi, grisei, pellucidi, mox evanescentes. Sporidia erecta, crebra, pyriformi-clavata, ad septa parum constricta, unde articulata apparent. Ceterum in hoc, ut *M. Convallariae*, subinde vidimus septa media etiam longitudinaliter divisa. *Ad ramos et folia Cheiranthi Cheiri; etiam in hac planta, sub dio crescente, apud nos frequens, autumno.* (v. v.)

4. *M. caricinum*, floccis decumbentibus fugacissimis, sporidiis cylindricis utrinque attenuatis atris, pedicello brevi.

Species generis nobilissima, *Arthrinio caricino* affinis. Caespites habitu Arthrinii majoris, omnino superficiales, facillime secedentes, 1—2 lin. lati, inaequales. Sporidia erecta, subincurva, elongato-cylindrica, utrinque attenuata, sub microscopio magis attenuata, unde septa aegre perspiciuntur. Certe tamen adsunt, plurima, simplici serie. Pedicellus brevis, semper pellucidus. Sporidia juniora surgunt e floccis tenuissimis repentibus intricatis, sed facile hi evanescunt. *Ad folia languescentia et emortua Caricum in America septentrionali.* (v. s. Schweiniz comm.)

XI. ARTHRINIUM. Kunz.

Conopleae sp. *Decand.* Arthrinium. *Kunz. Myc. Heft* 2. *p.* 101. Idem, Camptoum, Goniosporium, Sporophleum. *Link Spec.* 1. *p.* 43—45.

CHAR. Flocci caespitosi, suberecti, latentes, annulati, septulis crassiusculis opacis. Sporidia coacervata, obscura, farcta.

Obs. Genus eximium, primo obtutu facile recognoscendum, ab ἄρθρον dictum; sed ob floccos tenellos, septatos, latentes, potius forsan ad *Sporosoricos* referas. Cum praecedentibus tamen serie omnino contigua jungitur; sporidia saltim *Arthr. caricini* luculenter e floccis enata vidi; nexus porro

cum Pyrenomycetibus hunc locum probat. Haec tanta est, ut olim finxerim *Arthrinium caricinum* esse *Leptostromatis caricini* alium statum, donec hoc fructificans simul legerim; hinc *Xyloma caricinum* Obs. Myc., mea culpa, huc perperam citatum. Color nigricans, vegetatio subinnata, verno tempore omnes notae species in foliis Cyperacearum aut Graminearum nascuntur. Flocci pellucidi, septis suis obscuris, valde insignes sunt. Licet igitur sporidia in singula specie eximie differant. (*Arthr. caricicolae* inter hoc et praecedens genus media sunt), nolui genus naturale divellere. In speciebus describendis a *Kunzeo* discedere non potui.

1. *A. caricicola*, floccis copiosis validis, sporidiis fusiformibus magnis. K.

Arthr. caricicola. *Kunz. Myc. Heft* 1. *p.* 9. *t.* 1. *f.* 4. 2. *p.* 102. *Scler. Succ. exs. n.* 297. *Link Spec.* 1. *p.* 43.

Caespites nigri, rotundi, magnitudine seminis Papaveris, in utraque foliorum pagina sparsi, parum elevati, habitu fere Stilbosporae ob floccos nudo oculo haud conspicuos. Flocci breves, intricato-erecti, pellucidi, fere articulati, septis latis opacis. Sporidia copiosa, floccis duplo tantum breviora, nigra, at transparentia, septo obsoleto instructa. *In foliis Caricis ericetorum copiose, vere.* (v. v.)

2. *A. Puccinioides*, floccis elongatis tenuibus, sporidiis copiosis angulatis minutis. K.

Conoplea atra *β*. Caricum. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 138. Conopl. Puccinioides. *Dec. Fr.* 2. *p.* 75. Xyloma caricinum. *Fic. Dresd.* 2. *p. XX.* Arthr. Puccinioides. *Kunz. l. c.* 2. *p.* 103. Goniosporium. *Link Spec.* 1. *p.* 45.

Habitus prorsus praecedentis, ut nudo oculo haud tute discernendum. Caespites exigui, saepius $\frac{1}{4}$ lin. haud excedentes, passim vero plures lineatim confluentes, superficie quasi velutina. Flocci parciores, quam in praecedente, at multo longiores, articulis magnis elongatis. Sporidia copiosa,

opaca, tri - aut polygona. *Ad folia Caricum majorum, sed etiam in Carice ericetorum. Vere.* (v. v.)

3. *A. curvatum*, floccis parcis tenuissimis, sporidiis ovatis curvatis minutissimis. K.

A. curvatum. *Kunz. l. c. p.* 103. Camptoum. *Link Spec.* 1. *p.* 44.

Praecedentibus itidem assimile, at caespites confertiores, raro tamen confluentes. Flocci longe tenuiores, remotius et tenuius septati. Sporidia copiosa, opaca, quodammodo Cryptosporii. *In foliis Scirpi silvatici, Lipsiae lectum.* (v. s.)

4. *A. Sporophleum*, floccis tenuibus breviusculis, sporidiis oblongis utrinque acutis minutis copiosissimis. K.

Sporophleum gramineum. *Nees - Spreng. Grundz. t. V. f.* 3. *Link Spec.* 1. *p.* 45. Arthrinium *Kunze l. c. p.* 104.

Caespites elongati, 1—1½ lin. longi, convexi, floccis tenuibus brevibus remote septatis. Ceterum ut omnes hujus generis species sporidiis certissime dignoscitur. *Ad folia Gramineorum v. c. Bromorum, vere.* (v. v.)

Ab his ultimis generibus, ut a *Macrosporio* ad *Sporidesmium*, ab *Arthrinio* ad Torulas, Cryptosporium etc. transitus evidens est, sed cum primariam differentiam inter *Hyphomycetes* et *Coniomycetes* offerat vegetatio discreta, floccosa, liberata etc. ista genera inter Coniomycetes recepimus, nexum analoga dispositione indicantes. Natura est integra, systematicas sectiones non agnoscens; nostrum erit, e differentiis primariis diversis series eruere easque dein ad harmonica principia distribuere; tum mente animoque res intuens hoc modo diversos evolutionis gradus ut in integrum fusos excipere potest. — Sequens genus recedens est.

XII. GLIOTRICHUM. Eschweil. ex em.

Syllogo Plant. ad Fl. Ratisb. p. 166. prima species sub Haplotrichi nomine, secunda sub Gliotricho; tertia est Dematium Schweinizio.

CHAR. Flocci continui, opaci (fibrae), sed tenerrimi, primitus mucosi, dein rigescentes, assurgentes. Sporidia globosa, simplicia, e gelatina orta (gonidia?) subadglutinata.

Obs. In foliis vivis e calidioribus regionibus passim observantur plantae Byssinae, quae e muco congelasse videntur, hoc genus constituentes. Saepe valde amorphae sunt, aliis floccis in fibras crassiusculas conglutinatis, aliis tenuissimis discretis. Sint itaque infimus radius suae seriei, colore ad sequentem transeuntes. Sporidia in hoc genere infimae dignitatis, fere conidia. *Gl. Fuligo* v. c. primo omnino asporum videtur, sed maceratum monstrat fibras gelatina undique sese expandente involutas, in qua observantur sporidia quasi natantia. Ob fila glutinosa (γλιον et θριξ) hoc nomen praetulimus, cum alterum Auctoris cum alio genere Linkiano homonymon minus congruat nec fibrae simplices characterem genericum offerre possint.

1. *G. candidum*, fibris simplicissimis tenerrimis laxe intricatis candidis, sporidiis demum inspersis.

Haplotrichum candidum. *Eschweil. l. c.*

Caespitulos parvos format laxe adhaerentes. Fibrae longissimae, tenerrimae, in statu sicco opacae, sub aqua vero per intervalla magis pellucent produntque contenta aliqua granula. Hinc analogia *Sporendonematis* evidentissima. *In foliis Cassiae Brasiliensis.*

2. *G. virens*, fibris simplicibus, repentibus, demum fasciculatim conglutinatis surgentibus hamatis e viridi nigricantibus, sporidiis minutissimis adglutinatis.

Gliotr. virens. *Eschw.! l. c. t. 1. f. 2.*

Fibrae simplices subrepentes; compositae vero et erectae duriores, opacae, subtortuosae atque e fibrarum simplicium ordinatione fasciculari et pyramidali cuspidatae. Fibrae erectae, $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ lin. altae. *Cum praecedente.* (v. s.)

3. *G. Fuligo*, nigerrimum, in crustam membranaceam diffusum, fibris conglutinatis ramoso-brachiatis, sporidiis adglutinatis.

Dematium Fuligo. *Schwein.! Car. p.* 102.

Longe lateque super folia, gramina etc. profusum fere ut Fuligine obsoleta. Fibrae rigidae, fragiles, ramum unum alterumve exserentes. *Schwein.* Micr. comp. subjectum et maceratum admodum abnormem structuram monstravit, fibras nempe rudes atras subreticulatas, e pluribus conglutinatis, ut videbatur, formatas, immixtis tenuioribus olivaceo-nigris pellucidis subseptatis. In aqua demum expanditur gelatina fibras cingens, in qua nidulantur sporidia minuta globosa, haud diffluentia. *Ad folia etc. in America boreali calidiori.* (v. s.)

Obs. Gliotrichum betulinum *Eschweil. l. c.* secundum specimina inventoris Weinmanni statum primordialem *Hydni s. Raduli aterrimi* sistit.

Cum plurima antecedentia genera sub *Dematio*, sensu Synopseos Persoonianae, comprehensa fuerint, ad finem distuli specierum recedentium expositionem. Sunt nempe *Dematium strigosum* P. et D. *stuposum* P. Ozonia — *D. bombycinum* P. est *Hypha* Recent. Haec genera autonomas plantas non censeo. *D. verticillatum* P. absque haesitatione ad subsequens genus, *Stachylidium*, refero. *Dem. ollare*, *cinnabarinum*, *salicinum* P. sunt sensu Linkii *Botrytidis* species, nostro *Sporotricha*, nec parum nostram horum generum limitationem confirmare videtur, quod Veteres eadem jam ex externa facie

semper in diversis sectionibus collocarunt. *D. impressum*, prioribus subjungendum, est mycelium sterile sequentis seriei. — *Dematium violaceum* P. est status primarius *Theleph. coeruleae* El. Fung. — Ad Algas potius pertinent *D. aureum* et *abietinum* P. — *Demat. aureum* Schum. non est Persoonii, sed Ozonium. — E speciebus novis in Synops. Fung. Car. tantum ab hac grege recedit *Dem. Vinosum* Schwein., quod Sporotrichum. — Dematia *Linkii* hujus loci non sunt et tantum ut mycelia sterilia consideranda; melior pars ad Hymenomycetes pertinet. — *Byssi* s. *Ceratonemata* Roth hoc loco non recepta sub Anthina explicantur.

ORDO IV.

MUCEDINES.

Nees Syst. p. 42. Syst. Myc. 1. p. XLIII. inclusis Sepedonieis.

CHAR. Sporidia orta inter floccos e membrana simplicissima factos, tubulosos, septatos, pellucidos, inspersa aut seriatim concatenata.

Obs. De intimo nexu cum Dematieis et de differentia ab iisdem supra jam disseruimus. — Quoad vegetationem vero longe majorem affinitatem habent cum Mucorinis, quorum flocci pariter e membrana simplicissima facti et tubulosi sunt. Priora Mucedinum genera, sporidiis primo inclusis, ad eosdem luculenter abeunt; sed peridiolum, si sporam ita dicas, liberum vulgo est et tam fugacissimum, ut practico fini idem respicere non conveniat. Tentavi ex historia diversa Mucorinos inter *Dematieos* et *Mucedines* dispescere, quo vero facto characteres carpologici obliterantur. Aliam expositionem in variationibus Systematis ad finem protuli.

XI. ACREMONIUM. Flocci decumbentes effusi, sporidiis? in ramulis lateralibus pedicellatis. *Genus dubium.*

XII. SPORENDONEMA. Sporidia intra tubum floccorum seriata, globosa, simplicia.

Obs. Diversam sporidiorum dignitatem eorumque metamorphosin sub Dematieis indigitare tentavi. Quoad floccos facile vulgo in Botrytideos et Sporotricheos dispescuntur; omnibus vero respectis speciebus limites evanescunt.

I. ASPERGILLUS. Mich.

Mich. nov. gen. pl. p. 212. (inclusis Monilia et Oidio.) *Hall. helv. III. p.* 113. *Link diss.* 1. *p.* 14. *Nees Syst. p.* 59. *Fries S. O. V. p.* 183! Sporodinia. *Link Spec.* 1. *p.* 94. Moniliae, spec. *Pers.* Typus: Mucor glaucus. L.

CHAR. Flocci tubulosi, septati, biformes; fertiles erecti, apice clavato-incrassati. Sporidia simplicia, globosa, seriatim conglutinata, in capitulum rotundatum circa apices clavatos arcte congesta.

Obs. 1. Characterem dedi practicum, nec theoreticum; nam, primo observante acutissimo *Ehrenberg*, verosimile est, clavam primitus sistere peridiolum, cujus metamorphosin in *Aspergillo maximo* sic describit: cum primum crescere incipit, filum refert; id augetur, massam sporulosam continens, acquirit in apice capitula agitque in summo quovis apice vesiculam globosam. In vesicas modo dictas promovetur massa sporulosa ibique condensatur. Motus ille conspicuus est, cum fungus rapide crescat. Maturo semine, i. e. postquam massa sporulosa in globos concrevit, peridiolis instructos, vesica rumpitur spargitque semina, quae cum sint viscosa, interdum cirrhorum forma ejiciuntur, neque omnia dilabuntur, sed magna pars peridio ad-

glutinantur. Haec disseminatio subito fit et perfici videtur peridioli vi contractiva, simul contrahitur peridiolum et collabitur in clavam illam, quae a Botanicis huc usque pro primaria habita est. Semina igitur non sunt ab initio capitulo clavaeformi adglutinata, sed peridiolo inclusa, statim cum emissione eorum in clavam abeunte. — Ex hac subtilissima observatione genus *Sporodiniam* constituit Link, sed planta qualis vulgo occurrit ab Aspergillo separari nequit, idemque in Asperg. glauco conspexi, idemque in reliquis fieri haud temere concludimus, licet res in optime evolutis fausto temporis momento et summa assiduitate tantum observanda in minoribus aegre perspiciatur. Hinc ex tam subtilibus differentiis, licet theoretice summi ponderis sint, genera divellere nolui, idque eo minus, cum etiam luculenter vidimus *Stachylidia* et *Botrytides* (sensu nostro restricto) *primitus vesiculiferas*, sed vesiculam totam collabescentem, id quod in *Botr. carnea* itidem observavit laudatus *Ehrenberg*. Nec ideo Aspergillum (ut ex ista observatione Stachylidium et Verticillium = Botrytidem in *Syst. Orb. Veg.*) ad Mucorinos transferre debui in opere practico; licet evidens videatur, *Ascophoram* summum esse hujus metamorphoseos gradum. Hoc loco limites ita proponere volui, ut primo obtutu palpabiles essent. Hinc Mucorinos restriximus ad genera in *statu perfecto* luculenter vesiculifera.

Obs. 2. Aspergillus, qui a forma aspersorii dictus est, Sporocybes, Stilbi etc. analogon est in serie Botrytidea. Caveas, ne cum Botrytideis aliis sporidiis apice congestis confundas. Apice clavato, sporidiis subseriatis etc. facile distinguas. Varias tam ab observatoribus aliis allatas, quam a me olim observatas formas excludere cogimur, cum ad morphosin non satis attentum sit. Suspicor, at non certe e definitionibus constat, *Aspergillum ovalispermum* Link, *Moniliam pullum* P. etc. esse Botrytides. — Sed etiam his missis species ubiquitariae et ni-

miae, statura mire variae, difficile est ad certas reducere. Saepe vidimus v. c. in Agaricis exsiccatis, simillima individua colore albo, flavo, olivaceo-fusco etc. ita mixta, ut limites evanuerint; immo ex sporidiis disseminatis formas colore diversas enatos esse constat! Sed floccorum primariorum color constans est. His rationibus ductus tam paucas inserui species inter Aspergillos simplices easque acutioribus notis, quam quae e colore sumuntur, limitatos vellem. Mycelium crassius et tenue certe nullius ponderis est, ut in Asperg. candido jam ab ill. Link observatum vidimus.

* *Floccis fertilibus simplicibus.*

1. *A. candidus*, floccis sterilibus effusis albis, fertilibus simplicibus apice incrassatis, sporidiis compactis candidis.

Mich. gen. p. 213. *t.* 91. *f.* 2. huc ab omnibus relatus et habitu congruus, sed sporidia ovata dicit, ut forsan sit *Asp. ovalispermus*, si satis a *Botr. ovulifera* diversus exstat; hanc enim non sistit. Mucor. *Linn. Suec. n.* 1291. Monilia candida. *Pers. Syn. p.* 692. *Alb. et Schwein. p.* 364. Asperg. candidus. *Link Spec.* 1. *p.* 65. *Chev. Par. p.* 64. *t.* 4. *f.* 17.

Sequente minor, tenuior, magis persistens, habitu arido, ut non possit non distingui. Sporidia hujus non nisi sub microscop. composito distincta discernuntur, magis compacta circa apicem capitatum. — An vero color constans sit, in medio jam relinquamus, vidi sane ita commixtum in fungis exsiccatis (non aliis locis!) cum simillimis colore flavo, griseo etc., ut colorem negligere et speciem *Asp. tenuem* dicere quondam in animo fuerit. Flocci steriles a fertilibus saepe non discreti, in quo statu (*Thamnidio* analogo!) *Monilia albicans* Pers. Myc. Eur. 1. p. 30. dictus est. *Frequens in corporibus exsiccatis, locis humidis; peristomia Hypnorum saepe eleganter cingens. Per annum.* (v. v.)

2. *A. glaucus*, floccis sterilibus effusis albis, fertilibus simplicibus apice capitatis, sporidiis laxis glaucescentibus.

Asperg. n. 1. *Mich. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 1. Mucor glaucus, *Linn. Spec.* 2. *p.* 1556. *Fl. Dan. t.* 777. *f.* 2. *Sowerb. t.* 378. *f.* 9. (e lapsu calami sine dubio hic ad Penicillium, et Mucor crustaceus Linn. ad praesentem a Link etc. ducitur). Mucor Aspergill. *Bull. Champ. p.* 106. *t.* 504. *f.* 10. Monilia glauca. *Pers. Syn. p.* 691. Asperg. glaucus. *Link diss.* 1. *f.* 23. *Spec.* 1. *p.* 67. *Desmaz. exs. n.* 359. Corda apud *Sturm. l. c.* 11. *t.* 7.

Mycelium plus minus evidens, in junioribus et sterile praecipue luxuriat. In hoc statu cum Ascophorae, Penicillii glauci etc. myceliis Sporotricha, sensu Auctorum, sistunt, immo Phyceas. Flocci fertiles aggregati, capitulo jam lente simplici granuloso crassiusculo terminati. Statura mire variat. *In omnibus corporibus semiputridis abundantissime. Per annum.* (v. v.)

Variat certe colore albo, virescente, fuligineo etc., ut bene Persoon in Mycol. Europaea. Racodium Mycobanche *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 74. (tomentum illud album, in cupula Pezizae hemisphaericae etc. frequens) est mycelium Aspergilli, sed raro fertile. Cel. Link (Spec. 1. p. 65.) *Asperg. mycobanchen* dicit.

†. *A. roseus*, floccis sterilibus effusis albis, fertilibus simplicibus, sporidiis roseis.

Sine nomine: *Batsch. El. Fung. f.* 58. Mucor roseus. *Sowerb. t.* 378. *f.* 11? Monilia rosea. *Pers. Syn. p.* 697. Asperg. *Link Spec.* 1. *p.* 68.

Hanc speciem olim lectam unice colore a priori diversam esse annotavi, id quod *Alb. et Schwein. Consp. p.* 364. jam observarunt; nuperius tantum legi *Botrytid. roseam* abunde diversam; nescimus igitur an prioris sit subspecies, an eadem planta cum Botr. rosea. *Ad corpora putrescentia.*

3. *A. flavus*, floccis sterilibus effusis albis, fertilibus simplicibus apice clavatis, sporidiis laxis demum flavis.

Monilia sulphurea. *Pers. Syn. p.* 691. Asperg. flavus *Link! Obs.* 1. *p.* 14. *Nees Syst. f.* 60, *Chev. Par. t.* 4. *f.* 12. Monilia flava. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 66.

Mycelium tenue, effusum, raro in fertili fungo conspicuum. Flocci fertiles breves, capitulo prioris minus compacto. Habitu magis ad A. candidum deflectit. *Loco et tempore cum prioribus convenit.* (v. v.)

In Synopsi binas attulit species, *Mon. auream* et *sulphuream* Persoon, in Myc. Europaea oblivioni traditas, forsan ab ipso cum priori conjunctas. De his plurimis abhinc annis annotavi, illam cum *A. candido*, hanc cum *A. glauco* comparandam. Nuperius vidi colorem expallescere, ut fingerem *M. auream* fuisse juniorem, *M. sulphuream* adultiorem plantam. Ex hac regione porro *Mucor fulvus* Sowerb. t. 378. f. 8.

4. *A. ferrugineus*, floccis ferrugineis nitidis, fertilibus simplicibus, capitulis compactis.

Mucor ferrugineus. *Sowerb. t.* 378. *f.* 10. Monilia. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 30. Asperg. *Link Spec.* 1. *p.* 68.

Caespitosus, forma nec non magnitudine *Asp. glauci*. Si flocci ipsi ferruginei, nec sporidiis delapsis colorati, speciem a praecedentibus certo diversam constituit. *In lignis putrescentibus caesis, hyeme.* Persoon. (v. ic.)

** *Floccis fertilibus ramosis.*

Obs. Hujus sectionis species et per se insigniores sunt et rarius obviae, hinc non ita formis intermediis confunduntur.

5. *A. maximus*, floccis flavo-fuscis, sterilibus lanato-compactis, fertilibus dichotomo-ramosissimis apice clavatis, sporidiis maximis demum concoloribus.

Aspergillus ramosissimus. *Hall. helv. n.* 2157, ipso teste per Scopolium. Mucor Aspergillus. *Scop. Carn.* 11. *p.* 494. et aliorum recent. Auctorum, sed a Syzygite haud distinguentium, quem conferas. (Schrankii icon in Samml. Naturh. und Physic. Aufs. Nürnb. 1796. t. 1. inspicere non licuit.) Asperg. maximus. *Link ex Ehrenb.! silv. Ber. p.* 24. *Nees Syst. f.* 61. (Link ipse citat *Asp. globosum* suum) Monilia

spongiosa. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 30. Sporodinia grandis. *Link! Spec.* 1. *p.* 94.

Nobilissima et maxime explicata generis species, habitu, loco et crescendi modo ad Syzygitem accedens, ut ante Ehrenbergium commutarentur. Caespites sistit late effusos, crassos, spongiosos. Flocci fertiles conferti, crassitie fere Phycomycetis, nitiduli, dichotomi, ramis divaricatis. In statu primario terminantur vesicula, guttam referente, hac collapsa capitulo sporidiorum. Color floccorum ex albo in flavo-ferrugineum fuscescentemve transit. De metamorphosi plura in fronte generis allata sunt. *Ad fungos putrescentes, hinc inde. Autumno.* (v. v.)

Obs. Asp. laneus *Link Spec.* 1. *p.* 66. eadem videtur planta. Sed de synonymis suis priscis varia dubia reliquit illustr. Auctor. Ipso teste *Asp. laneum* Link Obs. 1. ad Syzygitem retulit Ehrenberg, sed speciem istam in Spec. Hyphom. descriptam ad Syzygitem trahere non licet. *Asp. maximum* l. c. in Spec. omnino tacet et *A. globosum* affert.

6. *A. griseus*, floccis lutescente-griseis, sterilibus lanaeformibus, fertilibus ramosis apice clavatis, sporidiis minutis griseis.

A. griseus. *Link Spec.* 1. *p.* 69.

Lanam refert griseam, parum lutescentem, 2–3 lin. altam, e qua emergunt flocci sporidiiferi. Capitulum parvum. *Link. In variis corporibus putrescentibus.* (v. s.)

7. *A. virens*, floccis albis, sterilibus lanaeformibus, fertilibus ramosis, sporidiis minutis seriatis.

A. virens. *Link! Obs.* 1. *p.* 14. *Spec.* 1. *p.* 67. *Chev. Par.* 1. *p.* 64. Monilia. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 31.

Caespites late extensos format floccis densis intricatis. Capitula magna, sporidiis seriatis. *In corporibus putrescentibus ex. gr. in sebo, quod corporibus infundi solet, in Germania.* (v. s.)

8. *A. purpureofuscus*, floccis purpureofuscis, sterilibus effusis sublaneis, fertilibus elongatis vage ramosis, sporidiis compactis opacis.

Tomentum late expansum, lanosum, opacum, ut omnes plantae partes. Flocci fertiles, elongati, tenues, parce et vage ramosi; ob colorem opacum septa vix perspiciuntur. Capitula parva, admodum compacta, haud diffluentia. Floccorum indole ad Botrytin pullam accedunt. *Ad caules plantarum in America boreali.* (v. s.)

Reliquos *Aspergillos* Auct. s. *Monilias* Pers. sub sequentibus generibus videas. Halleri species sat dubiae praeter jam citatum; vix tamen ad alias species referri possunt, quam Asperg. Hall. n. 2152. ad *A. flavum*, n. 2153. ad Stilba; 2154. ab *Botrytin pullam*; 2155. ad *Moniliam pedicellatam*, n. 2156. ad *Peric. subulatam*. Nees. — *Asperg. penicillatus* Grev. est *Monilia penicillata*.

II. STACHYLIDIUM. Link.

Link diss. 1. *p.* 15. *Nees Syst. p.* 57. *Fries Syst. Orb. Veg.* 1. *p.* 178.! Nec separo Spondylocladium *Mart.*, *Sceptromycetem* et *Botryosporium*. Corda.

CHAR. Flocci tubulosi, septati, biformes; fertiles erecti, discreti, apice steriles; ad latera proferentes ramulos brevissimos articulatos, fertiles. Sporae in ramulis sessiles, collabescentes et sporidia globosa simplicia effundentes.

Obs. Genus Stachylidii, ob formam *subspicatam* dicti, primus ad ramulos verticillatos determinavit *Link* ramulos sporidia habens. Cum ramificatione, utique ad genera determinanda inepta, praecipue niti videretur, cum Botrytide iterum conjunxerunt *Persoon* etc. — etiam ipse *Dittmar*. Occurrunt quidem *Botrytides*, *Dactylia* etc. etiam verticillato-ramosa, sed alia ramulorum ratio in Stachylidiis, quae nostro sensu etiam ramulos alternos proferunt; sunt nempe receptaculi species, quod luculenter patet in speciebus ramosis, articulato-discreti et demum decidui. Pro sporidiis ramulos eo minus sumere possum, cum ipsos proferre viderim

sporidia duplicis ordinis, utraque globosa, facile decidua, *libera*; quam ob causam majora vesicularia minora peridiolis instar includentia et mox collabentia sporos diximus, memores moniti Linkianii: descriptiones practicas nec theoreticas esse debere. Re ipsa tamen peridioli species sunt, respondens peridiolo in clavam retracto in *Sporodinia*, plane collabescenti in *Mucore carneo* Link, qui mihi Botrytis. Sunt haec sporidia Stachylidii eadem organa, ac sporidia Aspergilli*); nam in utroque genere vesiculae collabentes, et sub hoc actu sporidia fumi instar spargentes adsunt, sed adnatae in Aspergillo; liberatae evanidae in Stachylidio. Hoc modo Stachylidia perfectissimae videntur inter Mucedines; certe quoque ipsae species nobilissimae. Hac morphosi nec non habitu congruis nolui separare plura genera. *Stachyl. diffusum* equidem quoque distinctum habui sub *Pleurocybes* nomine; observato vero statu sporifero summam perspexi analogiam cum veris Stachylidiis simulque legi speciem prorsus intermediam. Cavendum mihi videtur, ne genera ita limitentur, ut singulum unicam tantum capiat speciem. — Hoc jam conscripto ad cognitionem meam pervenit speciosus *Sceptromyces* Corda, sed etiam hic nostrae generis ideae ita accedit, ut novum inserere genus haud necesse visum sit.

1. *Sceptrum*, floccis fertilibus simplicibus griseis, ad articulos omnes exserentibus ramulos senos verticillatos tenellos sporas spicato-capitatas gerentes.

Sceptromyces Opizii. *Corda in Sturm. Deutschl. Flor. III. Abth. Heft II. t. 4.*

Speciosa mucedo, 1—2 lin. alta, grisea, pellucida, ad septa quaternata articulato-constricta. Ramuli seni videntur normales, *tenues*, passim divisi, sporis indefinitis copiosis globosis in capitulum

*) *Aspergilli* vero *maximi* ad sporas Stachylidii accedunt; magis evoluta in *Acrophyton* abirent.

oblongum spicatis, quae dena circiter sporidia pedicellata continent. *In Caldariis supra amenta mascula Cupressi detexit* Opiz. (v. ic.)

2. *S. bicolor*, floccis fertilibus simplicibus griseis, ad articulos superiores exserentibus ramulos quaternos obesos sporiferos.

Demat. verticillatum. *Hoffm. Germ.* 2. *t.* 13. omnino hujus loci; etiam sporidia (floccos cinereo - pruinosos) memorat. *Pers. Syn. p.* 694. *Myc. Eur.* 1. *p.* 17. Stachylidium bicolor. *Link Obs.* 1. *p.* 13. *Spec.* 1. *p.* 78. *Nees! Syst. f.* 56. *p.* 47. Botrytis bicolor. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 37.

Licet species distinctissima, in statu perfecto observata, ut habitu, ita etiam charactere a praecedente haud admodum distat, nempe ramulis praecipue obesis et sporis paucis. Mycelium ex albo griseum mucedineum praecipue in ambitu in adultis observatis conspicitur, saepe obsoletum. Flocci fertiles sub microsc. mox dignoscuntur ramulis brevibus, quaternatis, quibus superne praecipue obsiti. Hos ramulos primitus vidi terminatos spora solitaria ut in Verticillio! dein pluribus, sed generis more fugacibus; et tum sporidia tantum in axillis etc. mycelio sparsa videre licet. Reperiuntur etiam individua vetusta sporidiis prorsus orbata. — Hoffmanni icon habitum vulgarem melius exhibet quam Neesiana. *In caulibus herbarum mucedine consumtis; raro silvatica in Symphyto; copiose hortensis ad Rhea, autumno.* (v. v.)

Obs. E Synonymo certe hujus loci *Spondylocladium fumosum* Mart. Erl. p. 78. Link Spec. 1. p. 79., nilque obstat in descriptione ab individuis asporis. Sub microscopio flocci moniliformes etiam mihi apparuere.

3. *S. terrestre*, floccis fertilibus ramosis albis, superne exserentibus ramulos quaternatos obtusos sporiferos.

Stachyl. terrestre. *Link! Obs.* 1. *p.* 73. *f.* 21. *Spec.* 1. *p* 78. *Grev. Crypt. Scot t.* 257. *Chev. par. t.* 4. *f.* 14. St. candidum. *Grev. in Wern. Transact. IV. p.* 72. *t.* 5. *f.* 2. *Fl. Edin. p.* 466. Botrytis terrestris. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 38.

Mycelium tenue, araneosum, late effusum. Flocci fertiles ex hoc eriguntur, ad medium, raro omnino, simplices; superne in ramos paucos divisi. Ramuli quaterni, in quibus sporas nondum conspicere licuit, sed adesse non dubitem, cum recens collecta pulverem moveat; sporidia dein in axillis et mycelio sparsa. Tota stirps facile collabitur. *Ad terram in ericetis, ad ligna putrida etc., autumno.* (v. v.)

4. *S. agaricinum*, floccis fertilibus ramosis candidis, ramulis inferne verticillatis, superne sparsis sporas quaternas gerentibus.

Botr. ramosa. γ. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 363. hujus loci videtur.

Caespites late effusi, irregulares, admodum delicati, fugaces, floccis sterilibus decumbentibus procurrentibus intricatis. Flocci fertiles parum elevati, laxi, immo subdecumbentes, remote septati. Sporae in ramulis subquaternae, planta tacta dissiliunt et sporidia fumi instar spargunt. Praecedenti utique affine, sed sequens luculenter genere conjungit. *Ad Agaricos putrescentes, autumno.* (v. v.)

5. *S. diffusum*, floccis fertilibus ramosis candidis, ramulis fertilibus sparsis sporas quaternas gerentibus, dein sporidiis apice in globum collectis.

Botrytis diffusa, *Alb. et Schwein. Consp. p.* 362. *Grev. Fl. Crypt. Scot. t.* 126. *f.* 2. *in Wern. Transact. IV. p.* 72. *t.* 5. *f.* 7. *Fl. Ed. p.* 468. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 36. Botryosporium diffusum, *Corda apud Sturm. l. c. H.* 11. *t.* 5.

Eximia, candidissima, 3—4 lin. alta, caespites formans primo orbiculares, dein effusos, densos laxos. Flocci regulariter et repetito-dichotomi, erecti. Inferiores articuli omnino steriles, sed e reliquis alternatim exseruntur ramuli brevissimi, primo *sporas quaternas circiter gerentes* (hunc statum primi inventores ante me soli observarunt), mox vero collabentes. Magis persistens est globus sporidiorum condensatus in apice ramulorum. In hoc

statu equidem quoque primum legi et sub *Pleurocybes* nomine distinxi, sed status primarius aperte Stachylidii. Monendum tamen, mihi haud omnino certum esse hujus globum esse sporidiola, cum haec sporidiis elastice ruptis fumi instar evolare viderimus; potius forsan conidia conglobata ex apice ramulorum prorumpentia. *Ad caules putrescentes autumno. Circa Lund pluries legi ad caules Carduorum majorum, Urticae dioicae coacervatos putrescentes, cum Botrytide lateritia* etc. (v. v.)

III. BOTRYTIS. Mich.

Mich. gen. pl. p. 212. *Hall. helv. III. p.* 111. *Pers. disp. p.* 46. *Fries Syst. Orb. Veg.* 1. *p.* 183. Botrytidis spec. *Recent.*, inclusis vero plurimis infra citandis generibus a ramificatione etc. pendentibus.

CHAR. Flocci tubulosi, septati, biformes, mucedinei; fertiles erecti discreti simplices aut ramis conformibus instructi. Sporidia simplicia, subglobosa, circa apices ramosve conglomerata. (*Sporidia primitus inclusa.*)

Obs. Etiam in hoc genere partium denominationem practicam theoreticae protuli, idque eo justius, cum hanc ad omnes species persequi non licuerit et ob praecipitem metamorphosin forsan numquam liceat. In permultis autem video sporidia (quae eadem sunt organa ac sporidia praecedentis generis), primitus gelatina in globulum minutum involuta l. vesicula tenella mox collabescente excepta (spora *Stachylidii*), unde pendent sporidia gelatinoso-conglutinata in soros. Hoc factum jam in *Botryt. carnea* vidit acutissimus Ehrenberg, indeque omnes Polyactes, aeque ad Aspergillos et Verticillia, ad Mucorinos retulit, et intermedia esse haec genera facile patet, ut theoretice ad Mucorinos, practice ad Mucedines potius referas. — In

nulla vero specie sporidiis magnis ovalibus hoc vidi; videntur haec a sporis praecedentis generis haud differre et sporidiola minus evoluta includere. (Potius sistunt peculiare genus juxta *Dactylium* et *Trichothecium* collocandum). — Eadem videtur ratio sporidiorum *Verticillii* Nees, sed hujus species sunt optimae Botrytides. — In hoc genere limitando ad Veterum ideam redii, plurimas species recentiorum ad Sporotricha rejiciens. Differrent haec genera potissimum floccis erectis et decumbentibus, sed normaliter nulla Mucedo decumbens est; vera Sporotricha etiam primitus erecta vel caespitoso-intricata; *omnia centrifugo — l. radiatim expansa et decumbentia sunt aliorum fungorum mycelia!!* Monuit quoque Ill. *Link* ista genera in statu decrepito et sicco dignosci non posse, aut potius in statu vegeto sunt *Botrytis*, in collapso *Sporotrichum*. *Botrytis polyspora* Link v. c. hoc modo se habet ad *Sporotr. geochroum* Desmaz. — E nostra vero limitatione, morphosi sporidiorum nixa, jam *primo intuitu nudis oculis in quovis statu* levi usu discerni possunt floccis fertilibus discretis, liberis, *mucedineis*, evidenter tubulosis, sporidiis glutinosis e. s. p. Cfr. *Sporotrichum*, cujus species huc recentius relatas Veteres non sub Mucedineis, sed cum *Byssis* conjunxerunt et Persoon in alio ordine, inter *Dematia*, in synopsi recepit. Illis Botrytidis nomen apte convenit.

Trib. 1. CAPITATAE. Flocci simplices. Sporidia circa apices in capitulum collecta. *Sporocephalum*. Chevall.

Ad *Aspergillum* prope accedunt, facile tamen distinguuntur floccorum apicibus subulatis, sporidiis haud seriatis, sed laxe conglomeratis, facile dilabentibus, floccis inspersis.

1. *B. ovulifera*, floccis aggregatis albis, fertilibus simplicibus albis, sporidiis capitatis ovalibus albis.

Mycelium in hac specie crassum sublaneum, floccis sterilibus etiam erectiusculis, albis, minus

fugacibus. Capitula fere Aspergilli, sed floccorum apices subulati, sporidia facile dilabuntur floccis inspersa, nec sporidia ovalia a me in isto genere visa. Habitus omnino Mucorinus, hinc ab *Haplotricho* L. diversam censeo, sed alia planta, ad quam referrem *Asp. ovalispermum* Link Spec. I. p. 66. mihi haud cognita est. *In vegetabilibus putrescentibus, caulibus herbarum* etc. *autumno*. (v. v.)

2. *B. elongata*, floccis aggregatis albis, fertilibus simplicibus, sporidiis capitatis globosis albis.

Flocci steriles sistunt tomentum laxum laneum, album; fertiles erecti longissimi, simplicissimi, remote septati, omnino aequales, apice vero subulati. Sporidia globosa, in capitulum densum congesta, haud seriata, sed facile secedentia floccis inspersa. *In caulibus herbarum putrescentibus*. (v. v.)

3. *B. glomerulosa*, floccis albis, fertilibus simplicibus, apice attenuatis, sporidiis capitato-conglomeratis globosis roseis.

Mucor glomerulosus. *Bull. Champ. p.* 103. *t.* 504. *f.* 3. Botrytis. *Dec. Fr.* 2. *p.* 71. Aclad. roseum. *Ehrenb.! Ber. Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 29. Sporocephal. glomerulosum. *Chev. Par. p.* 60. *t.* 3. *f.* 9. — Num eadem planta Asperg. roseus cum syn.?

Species, quam ante oculos habeo, omnino hujus generis, ceterisque magis in Sporotrichi faciem collabens. Flocci steriles parum discreti, fertiles tenuiores et laxiores, quam in Aspergillo. *Ad corpora putrescentia in humidis*. (v. v.)

4. *B. pulla*, floccis fusco-nigris, sterilibus sublaneis, fertilibus simplicibus apice subulatis, sporidiis capitatis glauco-nigricantibus.

Monilia pulla. *Pers. et Auct. non obstat.*

Species valde distincta, habitu Stilbi aut Sporocybes ob colorem inconsuetum; etiam micr. compos. subjecti flocci fertiles nigri haud septati apparent; adfusa vero aqua omnino albo-pellucidi, tubulosi, et luculenter septati. Tum quoque sporidia

arctius congesta subopaca ex apice subulato diffluunt. *Denso et effuso velamine caules putrescentes herbarum* v. c. *Urticae obducit, autumno. Lundae copiose.* (v. v.)

Trib. II. SPICATAE. Flocci simplices aut parum ramosi, apice omnino indivisi. Sporidia ad latera floccorum congesta. *Haplaria.* Link.

A *Stachylidio* recedunt defectu ramulorum sporigerorum etc. Sporidia spicam interruptam, flocco rachidi respondente, sistunt. Species prioris tribus collapsis sporidiis aegre discernuntur.

5. *B. Fumago*, floccis fertilibus sparsis tenellis simplicissimis collabentibus, sporidiis globosis conglomeratis nigricantibus.

Fumago Fagi, *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 10.

Habitu diversissima est, nam collapsa in Fumaginem omnino abit, ad Cladosporium tamen trahi nequit, nam flocci longiusculi, simplicissimi, sub micr. comp. toti tubulosi, hyalino-pellucidi et septati, a basi ad apicem attenuati, nec strangulati. Sporidia conglomerata, globosa, opaca, nigricantia. An vera Botrytis? *Ad folia Fagi decidua.* (v. s.)

6. *B. grisea*, floccis fertilibus sparsis subsimplicibus aequalibus griseis, sporidiis hinc inde accumulatis globosis concoloribus.

Haplaria grisea. *Link! Obs.* 1. *p.* 9. *f.* 12. *Nees Syst. p.* 52. *f.* 49. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 28. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 11. Botrytis. *Fries Stirp. Fems.*

Flocci steriles ut in praecedente evanescunt, sed omnino hujus generis. Flocci fertiles discreti, tenelli, sed rigiduli, ½ lin. alti, omnino aequales nec strangulati, simplices aut bifidi tantum; sporidiis delapsis denudati. *Ad folia variarum plantarum palustrium Sparganii, Typhae etc. autumno.* (v. v.)

7. *B. cinerea*, floccis fertilibus gregariis subsimplicibus cinereis, mox *strangulatis*, sporidiis hinc inde accumulatis globosis albidioribus.

B. cinerea. *Pers. Syn. p.* 690. *disp. meth. t.* 3. *f.* 10. haud bona! *Alb. et Schwein. Consp. p.* 363. *Schum. Saell.* 2. *p.* 238. *Link Spec.* 1. *p.* 63.

A praecedente longe removeri non debet. Flocci steriles in hac saepe etiam evanescunt, sed fertiles in densam silvulam, lineam altam, stipantur, jam nudo oculo distinguuntur farinosi; omnino simplices aut uno alterove ramo simplici aucti. Sub micr. comp. flocci adulti semper strangulati, articulis alternis constrictis, alternis compressis, ut quasi *Alternaria* sui generis. Sporidia glomerata, globosa, *alba*, per aetatem cinerea. Duae praecipue sunt hujus speciei formae habitu valde recedentes, sed characteribus haud separandae; altera ad caules exsiccatos nudo oculo magis fruticulosa, rigida, cinerea; altera ad caules putredine fere dissolutos, haec mollis, mucidinea, fuligineo-cinerea. *Ad caules plantarum emortuos vulgatissima omni anni tempore.* (v. v.)

8. *B. aeruginosa*, floccis fertilibus caespitosis simpliciusculis albis, sporidiis globosis aeruginosis minutis conglomeratis dense incrustatis.

B. aeruginosa. *Schum. Saell.* 2. *p.* 238. non obstat.

Penicillio crustaceo affinis, ut prior *P. fasciculato!* Flocci albi, intertexti, sed fertiles apicibus discretis simplicibus eminent, laxi, sporidiis dense investientibus conglomeratisque incrustati. *Ad fructus putridos legi;* Schumacher *in* „*Fuligine Lycoperdine*“ *s. Reticul. umbrina.* (v. v.)

Trib. III. CYMOSAE. Flocci simplices aut parce ramosi, apice multifidi subcymosi. *Polyactis.* Link Obs. 1. nec Spec. 1, *Nees Syst.*

A Penicillio recedunt apicibus obtusiusculis, lobatis potius quam penicillatis.

9. *B. cana*, floccis cinereis; sterilibus effusis fertilibus apice ramosis, sporidiis ovalibus magnis hinc inde adspersis.

Mucor racemosus. *Bull. Champ. p.* 104. *t.* 504. *f.* 1. Botrytis. *Dec. Fr.* 2. *p.* 70. Spicularia. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 40 Botr. cana. *Kunz. et Schmidt Myc. Heft* 1. *p.* 83. *Pers. Myc.* 1. *p.* 33. *Link Spec.* 1. *p.* 59. non obstat.

Caespites effusi, saepe late expansi, floccis sterilibus decumbentibus subpersistentibus; fertilibus discretis, cinereis aut canis, apice multipartitis. Medium tenet locum inter *B. cineream* et *vulgarem*; cum utraque conjuncta fuit, ab utraque sporidiis magnis ovalibus racemosis diversa. *Ad folia et caules putridos passim.* (v. v.)

10. *B. vulgaris*, floccis griseis, sterilibus sublaneis, fertilibus apice lobato-divisis, sporidiis globosis minutis circa ramulos obtusos collectis.

Botrytis. *Hall. helv. n.* 2139. Polyactis vulgaris. *Link Obs.* 1. *p* 14. *f.* 22. *Nees Syst. f.* 55. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 15. Monilia vulgaris. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 31. (At non Penicill. racemosum *Pers l. c.*, quod Monilia) Botrytis Polyactis. *Link Spec.* 1. *p.* 59.

Caespites longe lateque effusi, sublanei. Flocci fertiles nunc omnino simplices, nunc uno alterove ramo instructi, praeter apicem sublobato-divisum. Licet plantula mutabilis sit, ramulorum terminalium peculiari habitu (minus regulares saepe longiores tamen, quam sistunt icones, sunt ramuli) facile dignoscitur; basi saepe articulato-constricta, apice obtusa. Sporidia minuta, ex albo glaucescentia, circa apices effusa. *Ad vegetabilia putrescentia vulgaris.* (v v.)

Cum hanc saepe in panis putridis viderim et sporidia ex albo glaucescant, potius ad hanc quam sequentem referam *Botr. leucosporam* Link Spec. 1. p. 61.

11. *B. vera*, floccis griseis, sterilibus sublaneis, fertilibus sursum ramosis, sporidiis globosis circa apices tenues spicatis.

Botrytis n. 4. *Mich. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 4. Mucor Botrytis. *Fl. Dan. t.* 777. *f.* 1. Bolt. fung. *t.* 132. *f.* 3. Botrytis spicata *Pers. Syn. p.* 691. Spicularia gemina. *Myc. Eur.* 1. *p.* 39.

Media quasi inter praecedentem et *B. umbellatam*. Ab illa differt ramis longioribus, magis irregulariter cymosis, tenuioribus, subdivisis, ut lobos non referant, sporidiis pulchre spicato-capitatis; ab hac floccis haud umbellatis. Mycelium crassum, laneum, a floccis sporidiiferis haud admodum discretum dense obtegit *fructus Mali etc. putridos, autumno.* (v. v.)

12. *B. atrata*, floccis atris, sterilibus maculaeformicontextis, fertilibus apice divisis, sporidiis circa apices tenues spicato-capitatis.

Distinctissima colore nigro et sicca sub lente simplici maculam nigram tantum monstrans. In hoc modo statu vidi, sed derasa sub micr. comp. monstrabat pulchram Botrytidem, apicibus tenuibus gerentibus sporidia pellucida in spiculam ovato-oblongam congestis. In vegeto statu flocci sine dubio laxiores sunt et fertiles erecti. *Ad fructus Aesculi, Iuglandis.* Fr. Nees, Eschweiler! (v. s.)

†. *B. capitata*, floccis albis, sterilibus evanidis, fertilibus simplicibus apice divisis, sporidiis capitatis.

Verticillium capitatum. *Ehrenb. silv. Ber. p.* 25. *Link Spec.* 1. *p.* 76. Botrytis. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 38.

Nivea, minima, ramulis brevibus, numero variis aequalibus raris ad apices collectis, vesiculis pellucidis h. e. Botrytis in statu primordiali observata, quam potius ad hanc, quam ad *Verticillatarum* sectionem pertinere suspicor. *Ad excrementa Larvarum, vere.*

Trib. IV. UMBELLATAE. Flocci simplices aut parce ramosi, apice umbellatim divisi! Sporidia circa apices congesta, capitato-spicata. Spicularia *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 38. Polyactis. *Link Spec.* 1. *p.* 62, *non diss.* 1., Nees.

Ad Monilias accedunt, sed sporidia circa floccos seriata sunt, nec simplicem catenam, ipsam in

sporidia collabentem, sistunt. Cum praecedente et sequente tribu, ut omnes reliquae, seriem tam contiguam efficiunt, ut genere separari nequeant. Videtur tribus magis australis.

13. *B. acinorum*, floccis ex albo glaucis, fertilibus fasciculatis simplicibus apice trifidis, sporidiis globosis albido-glaucis.

B. acinorum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 38.!

Flocci ex albo cinerascentes, steriles tenelli evanescentes; fertiles in fasciculum connexi, stricti, nitidi, apice trifidi. Sporidia inspersa, primo forsan tantum terminalia. Siccam rite explorare non licuit; videtur tamen non minus *B. capitatae*, quam sequenti affinis. *In uvis putrescentibus Galliae, frequens.* (v. s. a Dufour comm.)

14. *B. simplex*, floccis griseis, fertilibus sparsis simplicibus, apice 3—5 fidis, sporidiis globosis circa apices congestis.

Botrytis 1. *Mich. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 1. B. simplex. *Pers. Syn. p.* 690. Spicularia. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 39. Polyactis. *Link* 1. *p.* 63.

Post Michelium haud lecta. Flocci steriles evanidi videntur. *Lecta ad ligna putrida et culmos graminum in Italia.* (v. ic.)

15. *B. umbellata*, floccis ex albo griseis, fertilibus ramosis, apice umbellatim divisis, sporidiis circa apices congestis globosis glaucis.

Botrytis n. 2, 3. *Mich. gen. t.* 91. *f.* 2, 3. (aetate tantum diversae). Ex his ortae sunt *Botryt.* ramosa. *Pers. Syn. p.* 692. Spicularia ramosa et Sp. alba. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 39. — Mucor umbellatus. *Bull. Champ. p.* 105. *t.* 504. *f.* 8. Botrytis. *Dec. Fr.* 2. *p.* 71. Spicularia umbellata. *Pers. l. c.* Polyactis umbellata. *Link Spec.* 1. *p.* 63. Cum speciminibus e Gallia convenit; Aspergillus quadrifidus. *Link Obs.* 2. *p.* 36. Monilia. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 39. Polyactis. *Link Spec.* 1. *p.* 62.

A praecedentibus luculenter differt praeter characteres datos floccis sterilibus in mycelium densum effusum contextis, e quo surgunt fertiles parum ele-

vati, et statura majori. Apices 4, 5 - raro 6 - fidi, obtusiusculi. Ceterum variabilis videtur planta, cujus color ex albo in griseo - nigrum auctore Bulliard transit. *Ad caules, folia et fructus putrescentes in Europa australiori, sed etiam Rostochii lecta a* Link. (v. s.)

16. *B. bicolor*, floccis e rubro griseis, fertilibus ramosis, apice quadrifidis simplicibusque, sporidiis circa apices congestis globosis albis.

B. bicolor. *Link! Spec.* 1. *p.* 61.

Caespites format lin. et ultra altos, longe effusos, colore e griseo nigrescente hinc inde rubro, illo persistente, hoc evanescente. Link. Transit ad sequentem tribum, cujus multis peraffinibus speciebus etiam valde accedit. *Ad caules herbarum majorum putrescentes; ut Berolini, etiam Lundae in horto Botanico, autumno.* (v. v.)

Trib. V. VERTICILLATAE. Flocci admodum ramosi, ramis suboppositis et verticillatis, subsimplicibus, patentibus, primo spora solitaria terminatis. Verticillium. *Nees Syst. p.* 57. *Link Spec.* 1. *p.* 75.

Inter Botrytides facile dignoscuntur ramis pro ratione elongatis, tenuibus, plus minus verticillatis, qui vero character in variis speciebus varie temperatur. Ob hunc ramorum situm non confundendae cum *Stachylidiis* et *Dactyliis* verticillatis. His proxime accedunt, etiam externa facie et loco, sed fructificatione differunt. — Status primarius *Mucorinus* Botrytidearum, in *B. carnea* (*Mucor* Link) ab *Ehrenbergio* primo observatus, in his facilius observatur. Sed istam vesiculam terminalem, ob rationes ad Stachylidium allatas, saepissime in sporidiola, seu sporidia Botrytidis communia, collapsam vidimus, ut genere separare non possimus; potius cum laudato Ehrenbergio fingamus, eandem esse omnibus veris Botrytidibus metamorphosin, aeque ac in Aspergillo et Stachylidio, hinc theoretice ex-

cepta ad Mucorinos referendis. Hac de caussa *Verticill. capitatum* Ehrenb. non in hac tribu, sed inter *Botr. cymosas* recepimus. Species hujus tribus, quae omnes quantum constat caules herbarum incolunt, numerosae sunt, ad certas difficilius reducuntur. Examinandae sine aqua adfusa, nam tum conidia uberrima profluunt, unde habitus Sporotrichi sub microscopio.

17. *B. lateritia*, floccis lateritio-rufis, sterilibus late effusis, fertilibus irregulariter verticillatis, apice multifidis, sporidiis ovalibus.

Sporotrichum lateritium, *Ehrenb.! silv. Ber. p.* 22. *Link Spec.* 1. *p.* 15.

Tenuissimo et denso velamine mucedineo longe lateque obducit caules putrescentes, vix ½ lin. alto, colore pulchre lateritio-rufo. A caule incautius derasae l. aqua adfusa structura confusa sub microscopio apparet et conidia minima, globosa, uberrima profluunt; in statu incolumi observata pulcherrimum est Verticillium. Flocci fertiles erecti, stricti, apice multifidi, ad latera ramis inferne parum divisis irregulariter verticillatis, superne sparsis instructi. Apice singulus ramus terminatur spora minuta pellucida, sed dein sporidia floccis adspersa una cum magnis globulis sporidiorum opacis. *Ad caules putridos varios, Urticae coacervatos una cum Trichothecio roseo, cum quo tum saepe intertextum, Rumicum etc., vulgatissima nobis plantula, autumno.* (v. v.)

18. *B. allochroa*, floccis sterilibus densis albis, fertilibus gilvis, ramis suboppositis, sporidiis globosis.

B. allochroa. *Link! Spec.* 1. *p.* 58. *Nees Syst. f.* 63. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 34. Verticillium allochroum. *Corda apud Sturm. l. c. Heft* 11. *t.* 8.

Plures formae; describo quam nunc vivam habeo, in caulibus Rhei lectam. Nudo oculo sistit maculas adpressas mucedineas, amorphas, hinc inde villo albo intertextas; flocci steriles enim albi, dense

contexti. Flocci fertiles, sub microscopio erecti, subulati, ad latera frequenter ramosi, ramis suboppositis, in minoribus individuis simplicibus spora terminatis; in majoribus ramosis, sporidiis adspersis. Exstant insuper plures staturae et coloris varietates. *Ad caules plantarum putrescentes copiose.* (v. v.)

19. *B. tenera*, floccis rubescenti-griseis, sterilibus tenerrimis, fertilibus ramis ternis simplicibus verticillatis, sporidiis globosis.

Verticillium tenerum. *Nees! Syst. p. 57. f. 55. Link Spec. 1. p. 75.* Botrytis. *Pers. Myc. Eur. 1. p. 38.*

Parum re ipsa a tribus praecedentibus differt. Nudo oculo stratum farinaceum sistit. *Ad caules emortuos Alceae.* (v. s.)

= *Vert. capitatum* videas inter Botr. cymosas.

20. *B. crustosa*, floccis persistenter albis, fertilibus simplicibus, trifidis verticillatisque, sporis globosis terminalibus.

Mucor Dematium. *Fries Obs. 1. p. 210.* (Botryt. ramulosa Link hanc complecti videtur.)

Stratum sistit mucido-farinosum, nunc tuberculiforme, nunc late effusum, constanter album. Sub microsc. comp. luculenter distinguuntur flocci steriles densi, e quorum hyphasmate emergunt fertiles breves, nunc simplices, nunc admodum ramosi, qui perfectiores ad typum Verticillii luculenter accedunt. Sporae majusculae, Mucoris peridiolum referunt, primitus saltim in apicibus solitariae. *Ad caules et folia emortua. Frequens in Heracleo Sphondylio, autumno.* (v. v.)

Trib. VI. CORYMBOSAE. Flocci ramosissimi, ramis ramulosis corymbosis.

Transeunt ad Trichothecia; sporidia magna quoque vulgo sunt et in *B. parasitica* septo longitudinali (non transversali) notata vidimus.

21. *B. parasitica*, floccis persistenter albis, fertilium ramis ramulosis, sporidiis maximis globosis.

Mucor Botrytes. *Sowerb. Fung. t.* 359. Botrytis parasitica. *Pers. Obs.* 1. *p.* 96. *t.* 5. *f.* 6. *Myc. Eur.* 1. *p.* 35. B. ramulosa. *Link Spec.* 1. *p.* 53. ex syn., potius vero praecedentem ante oculos habuit. B. nivea. *Mart. Erl. p.* 53.

A praecedente diversam censeo, nec nisi in plantis vivis legi, quarum rami inde turgidi, monstrosi. Rami haud ad situm verticillatum, sed corymbosum tendunt. Sporidia (sporae?) maxima, globosa, subinde septo longitudinali (nec transversali ut in proximo Trichothecio) notata vidi. *Ad caules et folia viva; nimia in Thlaspi bursa Pastoris, sero autumno.* (v. v.)

Obs. *B. parasiticae* proximus est, vix distinctus, *Mucor Erysimi* Sowerb. Fung. t. 400. f. 7., in siliquis *Erys. Alliariae* lectus.

22. *B. farinosa*, floccis persistenter sordide albidis. fertilium ramis elongatis simplicibus corymbosis, sporis ovali-globosis maximis, sporidiis minimis.

B. epiphylla. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 55. sec. specim., at descriptio, lente simplici forsan facta, longe recedit floccis simplicibus. Sporotrichum. *Link Spec.* 1. *p.* 6?

Nudo oculo colore griseo-albo et maculis effusis crustosis farinaceis mox dignoscitur. Sub microscopio flocci tam steriles implexi, quam fertiles erecti, ramis longis simplicibus facile discernuntur. Sporae maximae non evanescunt, sed sporidia effundunt. *In foliis vivis v. c. Atriplicibus.* (v. s.)

= *Botrytis agaricina* Link in statu imperfecto in hac regione facile quaerenda, in perfectissimo est *Dactylii* species.

23. *B. laxa*, floccis lanaeformibus persistenter albis, fertilibus inferne ramosis, ramis longissimis superne ramulosis, sporidiis minutis globosis conglomerato-inspersis.

Speciosa, satis *Stachyl. diffusum* referens, caespitibus candidis, lanatis, laxis, 3—4 lin. altis, siccatis admodum collabescentibus. Flocci longissimi fertiles, rami corymbosi apice divisi, undique spo-

ridiis minutis conglomeratis dense incrustati. *Ad caules plantarum — similem ad ligna putrida legi, autumno.* (v. v.)

24. *B. elegans*, floccis tenuibus ex albo flavescentibus, fertilibus longiusculis corymboso-ramosis, sporidiis globosis.

B. elegans. *Link Obs.* 1. *p.* 13. *Spec.* 1. *p.* 54. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 34.

Flocci sporidiiferi longiusculi arbusculas elegantes formant, sed facillime collabuntur, ut conservari nequeant. Link. — *In stercore vaccino.*

Trib. VII. PANICULATAE. Floccis ramosissimis, ramis dichotomis sporidiis demum conspersis. — *Virgaria* Nees Syst. p. 54. *Lignatiles.*

Ad *Sporotricha* transeunt, ad quae quoque referendae *B. densa*, *turbinata* etc. Sporidia primitus vesiculoso-conglutinata in plerisque saltim evidentia sunt. Ultima *Myxogastria*, v. c. *M. murinum*, etiam habitu accedunt, sed fibrae rigidae, contiguae.

25. *B. carnea*, floccis albis, fertilibus brevibus dichotomis; sporis terminalibus sporidia globosa carnea fundentibus.

B. carnea. *Schum. Saell.* 2. *p.* 238. Polyactis carnea. *Ehrenb.! Ber. p.* 25. Mucor carneus. *Link Spec.* 1. *p.* 88.

Sporidia, quamdiu inclusa, alba sunt. *Ehrenb.* Ob floccos tenues facile collapsos, pro Sporotricho sumas, sed status primordialis Botrytideus, immo Mucorinus. *Ad ligna, folia decidua*, etc. *autumno.* (v. v.)

Ex hac regione videtur *Mucor querneus* Sowerb. t. 378. f. 12. luteus, floccis ramosis diffusis, sporidiis in spicis obovatis collectis. *In ligno putrido quercino.*

26. *B. virella*, floccis aggregatis mucedineis dilute aerugineo-virescentibus, sporidiis globosis.

Sporotrichum flavovirens. *Link Spec.* 1. *p.* 17. in statum exoletum convenit.

Species distinctissima, silvulae instar late obtegens ligna putrida, floccis mucedineis recenti in statu tactis pulverem moventibus. Est certe Botrytis, licet in statu primario micr. comp. subjicere non licuerit. Exsiccatum in Sporotrichum collabitur, color recens purus virello-pallescens subhyalinus in luteo-viridem abit. *Latissimo spatio obducebat truncum mucidum Betulae rivulo semiimmersum. Aug.* (v. v.)

Longe majorem specierum numerum in silvis remotis errans vidi, sed micr. comp. carenti examinare non licuit. Omnes fere, ad quas v. v. notavi, circa Lund collegi. Nulla in Floris Suecanis recepta fuit. ! ! !

Reliquas plerasque *Botrytides* sub Sporotricho videas, quasdam sub *Dactylio*. *Botryt. pulvinata* Link magis e spec. gallico, quam e descriptione ad *Cladosp. umbrinum* referrem.

IV. PENICILLIUM. Link.

Penicillium. *Link diss.* 1. *p.* 15. *Nees Syst. p.* 58. Coremium. *Link l. c. p.* 19. *Nees l. c. p.* 86. Floccaria. *Grev. Crypt. Scot. t.* 301. Typus: Mucor crustaceus. L.

CHAR. Flocci tubulosi, septati; fertiles erecti, apice in penicillum fissi. Sporidia globosa, simplicia, pellucida, in soros coacervata, penicillis adspersa.

Obs. Apicibus penicillatis, e quibus nomen, a Botrytide potissimum differt hoc genus, tamen sporidia copiosissima, minuta, numquam in vesiculam gelatinosam s. sporam conglutinata vidimus. Eadem ratio videtur analogi Actinocladii. Species saepe minus bene explicatae occurrunt, admodum fallaces sunt mycelii luxuries. — *Coremia*, cum vix specie, certe genere separare non valeo; orta sunt e floccis plurimis fertilibus in stipitem intricatis; sed vere coenotoca non sunt. Eadem in eodem Mycelio cum Penicilliis saepe vidi, et *Penicillium crustaceum* jam in *Fl. Dan. t.* 897. *f.* 1. in utroque

statu pingitur. Inter sequentia genera similia exempla specierum l. individuorum condensatorum haud rara.

1. *P. fasciculatum*, floccis omnibus fertilibus discretis erectis apice *trifidis* ramulosisque, sporidiis glaucescentibus.

P. fasciculatum. *Sommerf.! Lapp. p.* 312.

Flocci mycelii nulli observantur, sed inde novum formare genus non licet. Flocci fertiles discreti, numquam Coremii more juncti, apice non ut in sequentibus dichotome sed trichotome penicillati, ramis ramulosis. *Ad caules herbarum majorum v. c. Rumicum, Epilobii angustifolii, vere, Sclerotio duro saepe innatum.* (v. v.)

2. *P. sparsum*, floccis sterilibus effusis, fertilibus simplicibus sparsis apice bifido-penicillatis, sporidiis candidis.

P. candidum. *Grev. in Wern. Transact. IV. p.* 71. *t.* 5. *f.* 5. P. sparsum. *Grev. Fl. Crypt. Scot. t.* 58. *f.* 2. non Link.

A *P. candido* utique diversum videtur. Nullos caespites contiguos efficit, sed mycelium tenue vage effusum candidum, e quo hinc inde flocci fertiles prorsus liberi et discreti surgunt, apice repetito-dichotomo excepto simplices. *Ad caules plantarum siccos, autumno.* (v. s.)

3. *P. crustaceum*, floccis sterilibus crustaceo-contextis albis, fertilibus subramosis intricatis apice bifido-penicillatis, sporidiis aeruginosis.

Mucor crustaceus. *Linn. Suec. n.* 1283.! Penicillium. *Fries in Litjebl. Sv. Fl.* 3. *p.* 678. *Wahl. Suec. n.* 2290. Penic. glaucum et expansum. *Link Obs.* 1. *p.* 15. *Nees Syst. f.* 59. P. glaucum. *Grev. Crypt. Scot. t.* 58. *f.* 1. *Link Spec.* 1. *p.* 78. exclus. syn. saltim Linn. *Desmaz. exs. n.* 302. (Conferatur insuper Monilia digitata.)

A praecedentibus mox recedit indole crustacea, a sequentibus colore. Junius album est, floccique conidiis concoloribus adspersi; dein e sporidiis copiosis in medio caespitis aeruginosum, subolivaceum.

Eo tantum tempore, quo flocci hunc colorem monstrare incipiunt, penicilli distincti observantur; flocci adultiores sporidiis dispersis contextum mucedineum amorphum monstrant. — Hujus mycelium in infusionibus, condimentis etc. mire luxuriat et mutatur. Conferatur *Nees in Regensb. Bot. Zeit.* 1824. p. 161. t. 1., ubi transitus in *β.* jam indicatur. Exinde plures formae Phyceis adscriptae ortum ducunt v. c. *Hygrocrocis atramenti*, *typhloderma* etc. Agardh Syst. Alg. p. 45. 46. — *Plantula longe vulgatissima; in cibariis copiosa, passim in fructibus, fungis* etc. (v. v.)

β. Coremium, floccis in stipitem densum album intertextis.

Byssus scoparia. *Fl. Dan. t.* 897. *f.* 1. varietati *α.* adhuc magis affinis. Corem. glaucum *Liljebl. Sv. Fl. l. c.* (Floccaria glauca. *Grev. Crypt. Scot. t.* 301., quam tabulam non vidi) Coremium leucopus. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 42. certissime.

Valde insignis prioris varietas, a quo certe ortum vidi. Junius fere crustaceum, sed in perfectis flocci fasciculatim secedunt et in stipites nudo oculo facile discernendos copulantur. *Ad Mala vidi autumno.* (v. v.)

4. *P. bicolor*, floccis sterilibus effusis lutescentibus, fertilibus fasciculato-congestis, apice penicillatis, sporidiis glaucescentibus.

Monilia Penicillus. *Pers. Obs. Myc.* 2. *p.* 35. *t.* 4. *f.* 9. *Syn. p.* 622. *Schum.! Saell.* 2. *p.* 239. Corem. bicolor. *Liljebl. l. c.* Coremium glaucum et citrinum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 42. 43. *Link Obs.* 1. *f.* 31. *Spec.* 1. *p.* 71. 72.

Praecedenti perquam affine, floccis vero coloratis a reliquis hujus generis distinctum. Floccos fertiles primo vidi in tubercula stipatos, dein elongantur et stipitem formant, minus distinctum quam in prioris *β.*, capitulumque subglobosum. Sporidia in *C. citrino* etiam glaucescunt. *Ad corpora putrescentia autumno.* (v. v.)

5. *P. candidum*, floccis sterilibus contextis candidis, fertilibus ramosis penicillatis, sporidiis candidis.

P. candidum. *Link! Obs.* 1. *p.* 11. *Spec.* 1. *p.* 69. *Pers. Myc.* 1. *p.* 41.

Prioribus longe minus et specie certe distinctum. Duplex hujus e mycelio forma; altera floccis dense contextis, quae conservari potest; altera floccis telae araneosae instar expansis, quae fugax est. *Illam in Cucumeribus putridis, hanc in fungis etc. legimus, autumno.* (v. v.)

β. Coremium, subclavatum, floccis in stipitem contextis.

Corem. candidum. *Nees! Syst. p.* 87. *t.* 86. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 43. *Link Spec.* 1. *p.* 71. *Chev. Par. p.* 81.

Clavulas sistit floccosas, demum inter se discretas, quas a praecedentis *α.* forma mycelio densiori ortas vidi. *Ad fructus et fungos putridos.* (v. v.)

6. *P. roseum*, floccis sterilibus effusis, fertilibus subramosis, sporidiis roseis.

P. roseum. *Link Obs.* 2. *p.* 37. *Spec.* 1. *p.* 71. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 71.

Valde tenue, facile collabens, tum stratum farinaceum modo referens, sporidiorum colore distinctum. *In caulibus Solani putrescentibus, autumno. Detexit* Nees ab Esenbeck! (v. s.)

V. MONILIA. Hill.

Hill. ess. p. 396. Moniliae spec. *Pers. Syn. et Auct.* Penicillii spec. *Pers. Myc. Eur.* (e definitione Auctoris huc pertineret.) Briarea. *Corda.* Typus: Mucor caespitosus *Linn.*

CHAR. Flocci tubulosi, septati; ramis fertilibus moniliformibus in sporidia pellucida simplicia globosa dilabentibus.

Obs. Genus inter *Penicillium* et *Dactylium* in hac serie intermedium, sed ab utroque luculenter

diversum. Sporidia *Dactylii*, apice digitatim congesta, in floccos fertiles moniliformes elongantur, articulis in sporidia dilabentibus. Est hac ratione idem evolutionis gradus ac *Helicosporium* in praecedente serie, licet haec analogia non tam evidens sit quam reliquorum generum utriusque seriei. *Aspergillo*, sporidiis erumpentibus, accidentaliter seriatis, in capitulum congestis, parum affine mihi videtur. Tam vero origine sporidiorum, quam vegetatione *Oidio* proximum; *M. penicillata* est *Oidium Monilioides* stipitatum. Facile crederem Moniliam cum Oidio olim confluere; jam in *Oidio leucoconio* adest stipes et huic similem obiter vidi stirpem duabus sporidiorum catenis terminatam, quam neglexi, cum et semel modo observata sit, et de genere dubia restent. — Cum praesentibus aptis synonymis nova nomina non fingenda sint, huic vidicavi paullum vagum *Moniliae*, aptissimum et primi inventoris ideae respondens, quod etiam ad *Oidia* extendendum, si ad monitum Michelii conjungantur. *Monilia* Recent. a Torula nullo modo recedit, quae etiam varia Auctorum Oidia sibi vindicat. — Floccorum color ex albido griseus, hyalino-pellucidus.

1. *M. penicillata*, floccis discretis simplicibus, sporidiorum catenis terminalibus numerosissimis laxis.

Aspergillus penicillatus. *Grev. Crypt. Scot. t.* 32! Penicillium sparsum. *Link Spec.* 1. *p.* 70. Briarea elegans. *Corda apud Sturm.* l. c. *Heft II. t.* 6.

Mucedo pulcherrima, ex albo griseo-hyalina, re ipsa *Oidio Monilioidi* affinis, sed distincte stipitata, ob gravitatem sporidiorum matura cernua. Flocci fertiles erecti, gregarii quidem, sed inter se discreti, simplicissimi, septati, ad septa demum strangulati, in articulos intumescentes. Apice terminantur fasciculo ramorum indefinitorum, in sporidia subglobosa dilabentium. *Ad gramina sub prelo sudantia detexit* Greville. (v. s.)

2. *M. digitata*, floccis caespitosis subintricatis simplicibus, sporidiorum catenis terminalibus subquinis erectis.

Aspergillus n. 8. *Mich. gen. t.* 91. *f.* 3. Mucor caespitosus *a. Linn. Spec.* 2. *p.* 1656. — et e syn. et descr. Asperg. simplex. *Pers. disp. p.* 41. Monilia digitata. *Pers. Syn. p.* 693. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 693. — etiam Penicill. glaucum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 40. — licet hoc loco evidenter cum Penicill. crustaceo confusum. Cfr. Obs. infra.

Difficilis species, quam exsistere vix dubitandum, licet plurimi cum *P. crustaceo* commutasse videantur. A praecedente recedit ut *Penicill. crustaceum* a *P. sparso*, floccis sterilibus in densum caespitem intricatis, sporidiorum catenis paucis digitatis. *Ad fructus putridos; se tantum in malo Limonio observasse monet* Micheli, qui cum Aspergillo suo non conjungeret Penicillii speciem. *Autumno.* (v. ic.)

Obs. Ad hanc dubiam plantam etiam ex icone pertineret *Mucor penicillatus* Bull. Champ. p. 107. t. 504. f. 11.; multa vero suadent Auctorem ante oculos habuisse *Penicillium crustaceum* et iconem analyticam ad iconem Michelii accommodasse.

3. *M. racemosa*, floccis caespitosis racemoso-ramosis, sporidiorum catenis lateralibus terminalibusque ternatis.

Asperg. n. 9. *Mich. gen. p.* 213. *t.* 91. *f.* 4. Mucor caespitosus *β. Linn. l. c. Bolton t.* 132. *f.* 2. Asperg. racemosus. *Pers. disp. p.* 41. Monilia racemosa. *Pers. Syn. p.* 692. Penicillium racem. *Myc. Eur.* 1. *p.* 41.

Species pulchra et distincta, crescendi modo praecedenti similis, sed longe diversa floccis racemoso-ramosis, sporidiorum catenis pedicellatis brevibus ternis. Pendet ipsa species ab iconibus citatis, a Penicillio diversissimis. *Ad terram et corpora putrescentia in Italia, Anglia.* (v. ic.)

Obs. Similem vidi speciem in foliis putridis coacervatis, sed collapsam. In hac vero sporidiorum catenae laterales, longae, sessiles. Septis et pelluciditate floccorum ab omni Cladosporio certe diversa.

VI. DACTYLIUM. Nees.

Dactylium. *Nees Syst. p.* 58. (species simplices) Cladobotryon. Nees l. c. p. 55. (species ramosae) Botryt. spec. *Auct.*

CHAR. Flocci tubulosi, septati, apicibus simplicibus attenuatis. Sporidia apicibus floccorum laxe adhaerentia, clavata aut oblongata, septata. *Septa non in quovis statu observanda.*

Obs. Ob sporidia plura, normaliter quaterna, in apicibus primitus *digitata* nomen imposuit illustr. *Nees ab Esenbeck.* Species simplices et ramosae formis intermediis conjunguntur. Est in hac serie *Helminthosporii* analogon; maxime vero affine est *Botrytidi;* ex idea vero haec genera luculenter differunt. Sporidia Dactylii semper magna, oblongata, immo cylindrica, discreta, subseptata, in apicibus primo digitatim congesta, haud in soros conglutinata. Morphosis ideo longe alia. Respondent nempe sporidia Dactylii sporis primariis Botrytidis; sed illa non in sporidia solvuntur, indeque ipsa sporidia dicuntur.

* *Simplicia.* Dactylia. *Nees, Link.*

1. *D. nigrum,* floccis sparsis simplicibus nigris, sporidiis obovato-oblongis pellucidis septatis.

D. nigrum. *Link! Spec.* 1. *p.* 77.

Pulveris instar subtilissimi nigri ligno incumbit. Flocci arcte adnati, ut a ligno facile separari nequeant, opaci, articulis brevissimis, ut moniliformes appareant. *Link.* — *In ligno exsiccato* Dittmar; dedit Illustr. Link. (v. s.)

2. *D. candidum,* floccis aggregatis simplicibus albis, sporidiis oblongo-clavatis septatis.

D. candidum. *Nees! Syst. p.* 58. *f.* 58. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 40. *Link Spec.* 1. *p.* 77. *Chev. Par. t.* 3. *f.* 13.

Perpusillum, floccis nudo oculo vix discernendis, farinam stratam albam referens. Flocci steriles evanidi; fertiles simplicissimi, septati, sporidiis

terminalibus duplo circiter longiores. Sporidia magna, erecta, 4, 5, sed quibusdam deciduis horum numerus saepe depauperatus. *Ad corticis quercini paginam interiorem.* (v. s.)

†. *D. Chevallieri* s. Sporocephalum quaternatum. *Chev.* par. p. 59. a priori unice differt septis evanidis et loco in *foliis delapsis.*

* *Ramosa.* Cladobotrya. *Nees.* Botrytid. sp. *Link.*

3. *D. pyriferum*, floccis aggregatis albis, fertilibus vage ramosis, sporidiis pyriformibus, septis evanescentibus.

Dactylio candido haud absimile, sed caespites format mucedineos, minutos, confluentes. Flocci fertiles a sterilibus vix elevati, tenuissimi, ramosi, ramis laxis brevibus. Omnino genera *Dactylium* et *Cladobotryon* jungit, et sequentis forte varietas est, nam habitus fere idem, sed septa sporidiorum non in hac observo distincta, et quoad floccos fertiles eadem inter hanc et sequentem intercedit differentia ac inter *D. macrosporum*, et *varium*. Color sporidiorum insuper albus est. *Ad caules deliquescentes plantarum, autumno.* (v. v.)

4. *D. tenellum*, floccos aggregatis albis, fertilibus subverticillato-ramosis, sporidiis quaternatis obovatis septatis.

Parva et pulchella species, genus nostro sensu eximie illustrans. Nudo oculo parum insignis; maculas sistit mucedineas albas, vix rubentes, etiam sub lente simplici amorphas. Microscopio composito subjecta facile distinguuntur flocci fertiles erecti, breves, tenelli, septati, ramis brevibus, quibusdam verticillatis; minores globulo s. d. Verticillii terminati visi sunt; majores vero sporidiis 3 —4, laxis, obovatis, opacis, uni puncto adfixis; septa ob sporidia floccis magis opaca sub summo augmento micr. comp. tantum perspiciuntur. *Loco et tempore uti prior.* (v. v.)

5. *D. macrosporum*, floccis aggregatis albis roseisque; fertilium ramulis brevissimis subverticillatis sporidiis obovato - cylindricis subternis, passim septatis terminatis.

Isaria carnea. *Pers. Syn. p.* 689. *Alb. et Schwein. p.* 361. huc ex spec. missis spectat: licet icon longe recedat! Botrytis macrospora. *Dittm. apud Sturm. l. c.* 4. *t.* 50. *Link! Spec.* 1. *p.* 57.

Caespites effusi, saepe late confluentes, unciales, sistunt tomentum ex albo in colorem pulchre carneo - rubrum mutatum. Hic color e sporidiis pendere videtur, licet ipsa sub microscopio alba appareant. Flocci fertiles, inferne simplices, sursum ramulis brevibus verticillatis oppositisve acuminatis aucti. Sporidia situ et forma prorsus generis; septa rarius licet vidi. *Maxime abundat in foliis coacervatis in pratis paludosis silvaticis jam aestate.* (v. v.)

* *D. varium*, floccis effusis vage ramosis, ramis elongatis, sporidiis subcylindricis passim septatis.

Cladobotryon varium. *Nees! Syst. p.* 55. *f.* 54. Botr. variosperma. *Link diss.* 2. *p.* 36. *Pers. Myc.* 1. *p.* 35. (Alytosp. roseum. *Ehrenb. silv. p.* 14. Sporotrichum cylindrisporum. *Link Spec.* 1. *p.* 14?)

Habitus plantae vivae prorsus praecedentis ut non facile distinguas; icones magis differunt quam ipsae plantae. *Ad ligna putrida prostrata.* (v. v.)

Obs. Est quaedam hujus speciei in habitu insignis cum *Trichothecio roseo* convenientia, praecipue si hujus forma Botrytidea comparatur. *Mucor roseus* Bull. Champ. p. 102. t. 504. f. 4, *Botrytis rosea* Dec. Fr. 2. p. 71. inter has species ambigua ob sporidia oblonga, ramos rectangulos *Dact. vario* proxima, sed locus potissimum *Hypheliae roseae*, speciei ab utraque distinctissimae. Bulliardi tabulae nunc non adsunt.

6. *D. dendroides*, floccis aggregatis ramosissimis albis, ramis ramulosis, sporidiis terminalibus obovatis et cylindricis septatis.

Mucor dendroides. *Bull. Champ. p.* 105. *t.* 504. *f.* 9. Botrytis. *Dec. Fr.* 2. *p.* 70. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 34. Botrytis

ramosa. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 363. B. Agaricina. *Link! Obs.* 1. *p.* 13. *Spec.* 1. *p.* 84. *Dittm. l. c.* 4. *t.* 41. *Pers. l. c.* Sporotrich. Boletorum. *Ehrenb.! Ber. p.* 22.

Fungos languescentes obducit lana tenui, densa, alba, ad unciam et ultra extensa. Flocci lineam longi, ramosissimi, ramis lateralibus brevioribus, adultiores saepe decumbentes. Sporidia generis more magna, obovata, sed variant adultiora magis elongata et haec luculenter septata, in apicibus acuminatis congesta, facile decidua. *Ad Agaricos et Boletos putridos, abunde, autumno.* (v. v.)

Obs. 1. Varias insuper vidimus hujus naturalis generis species olim inserendas. Caveas, ne septis sporidiorum nimium tribuas, haec enim in eadem specie adsunt et desunt, antecedentia vero genera eis semper carent. Reliquae notae certe et constantes sunt.

Obs. 2. Botrytides et Sporotricha, sporidiis magnis ovalibus, novum inter hoc et Sporotrichum medium genus efficere videntur. Sed morphosis, unica fida generum basis, plene observanda.

VII. SPOROTRICHUM. Link reform.

Byssi spec. *Veter.* Dematii (intertext.) spec. *Pers. Alb. et Schwein.* Sporotrichi, Acladii et Botrytis *Link.*

CHAR. Flocci erecti aut caespitoso-convergentes, ramosi, septati, uniformes, haud mucedinei. Sporidia libera, simplicia, primo floccis intertexta aut obtecta, dein inspersa. *Flocci flaccescentes facile decumbentes. Sporidia majuscula, pellucida.*

Obs. Difficillimum genus, quod lubenter, si licuerat, sicco pede transiissem. Hoc enim maxime mycelia etc. diversissimae naturae et originis tangit. Non tantum omnes species floccis expansis centrifugis etc. huc relatae aut e prisco sensu referendae mycelia sunt, sed multae etiam floccis erectis, lanosis, opacis vulgo et minutis conidiis inspersis. Sic v. c. Fusisporii etc. mycelia eximie Sporotricha

referunt. — Inter centurias dubiarum tamen adsunt aliae insigniores et evidentes, *absque dubio autonomae*. Harum aliquot notissimas in generis tantum exemplum afferam. Malo in his defectu, quam excessu peccare, ne futuri generis studii difficultates augeam. De Botryt. differentia supra ad illud genus disseruimus. Flocci albi praecipue suspecti.

* *Floccis erectis* (*sporidiis immixtis*) *obscuris, nigris, olivaceis, cinereis* etc.

1. *S. nigrum*, floccis erectis dichotomo - virgatis nigris, apice attenuatis, sporidiis globosis concoloribus.

Byssus nigra. *Vet. Auct.* Botrytis nigra. *Link! Obs.* 1. *p.* 12. *Spec.* 1. *p.* 62. *Grev. Crypt. Scot. t.* 274. Virgaria nigra. *Nees! Syst. f.* 52.

Habitus byssinus, caespitibus nunc effusis, nunc conglomerato - rotundis compactioribus, quale a Sommerfeltio habeo. Flocci, ut in hoc genere, prorsus uniformes, omnes erecti, dichotomo - virgati, attenuati, certe septati, licet septa ob nigrum colorem minus conspicua. Sporidia copiosa, ramis plerumque inhaerentia. *Ad truncos et cortices frequens.* (v. v.)

2. *S. geochroum*, floccis erectis ramosissimis virgato - dichotomis olivaceo - griseis, sporidiis globosis minutis.

Botryt. polyspora. *Link! Obs.* 1. *p.* 12. *Spec.* 1. *p.* 56. *Dittm. apud. Sturm.* 3. *t.* 35. Sporotrich. geochroum. *Desmaz.! exs. n.* 117. collapsum.

Praecedenti affine, at colore, ramis minus strictis etc. certe diversum. Mycelium expansum numquam vidi. Polyspora omnia sunt *Sporotricha*, exstatque aliud Sp. polysporum Link, quare Desmazieri nomen servavi. *Ad truncos et ramos putrescentes, autumno frequens.* (v. v.)

3. *S. cinereo - virens*, effusum, floccis erectis subramosis e viridi cinerascentibus, sporidiis globosis magnis.

B. cinereo-virens. *Kunz.! et Schmidt. Myc. Heft* 1. *p.* 82. *Link Spec.* 1. *p.* 56. — *Fries exs. XXVIII.*

Late effusum, ad 4 pollices et ultra expansum, primo laete virens, velutinum, exsiccatum collabens et fuscum, in superficie pulverulentum. Diu pro Demat. virescente P. habui. *Ad truncos putrescentes, praecipue Betulae, in Smolandia saltim copiose. Vere.* (v. v.)

4. *S. olivaceum*, effusum, floccis erectis subramosis brevissimis olivaceis, sporidiis globosis parvis.

Botrytis olivacea. *Link! Spec.* 1. *p.* 55. *Obs.* 1. *p.* 12.

Praecedentibus multoties tenuius, floccis nudo oculo non discernendis, maculas tenues subvelutinas olivaceas sistens. *Ad truncos putrescentes.* (v. s.)

5. *S. elaeochroum*, caespititium, floccis erectis vage ramosis olivaceis, sporidiis globosis parvis.

Caespites sistit minutos, rotundos, pulverulentos, sed etiam nudo oculo floccosos, $\frac{1}{2}$ lin. latos, at facile confluentes. Rami elongati, subsimplices, aequales. *Ad Rosarum v. c. R. pomiferae fructus putrescentes autumno.* (v. v.)

6. *S.? turbinatum*, floccis in caespitulum turbinatum congestis fastigiatis caesiis, sporidiis rotundis subcapitatis candidis.

Polyactis turbinata. *Kunz. et Schmidt Myc. Heft* 1. *p.* 83. Botrytis. *Link Spec.* 1. *p.* 60.

Flocci coeruleo-cinerei, lineam attingentes, basi condensati, ex uno puncto quasi egressi, sursum expansi, laxiores. Sporidia nitida e vegetatione indicata magis peripherica evadunt. Ad hoc genus retuli ob affinitatem cum *S. candido* et eandem formam in specie quadam aurea vidi. *Ad ligna pinea Lipsiae lectum.*

** *Floccis erectis* (*sporidiis immixtis*) *laete coloratis* (*rufis*, *rubris*, *luteis*, *candidis*).

7. *S. rubiginosum*, floccis intertextis vage ramosis sporidiisque magnis subovalibus rubiginosis.

Species insignis, ceteris longe firmior, floccis evidenter septatis, crassioribus quam reliquorum, vage ramosis et in caespitem intricatis compactum. Racodiaceum. *Ad ligna putrida, rarius.* (v. v.)

8. *S. ferrugineum*, floccis intertextis ramosis ferrugineis, sporidiis globosis minutis.

Tomentum sistit late effusum ferrugineum. Flocci crassiusculi, inter prioris et sequentis medii, fragiles!, ceterum byssino-persistentes. Cum myceliis neutiquam confundenda sunt hoc et praecedens. *Ad truncos putridos.* (v. v.)

9. *S. fulvum*, floccis intertextis subramosis fulvis, sporidiis globosis.

Dematium ollare. *Pers. Syn. p.* 697. Botrytis fulva. *Link Spec.* 1. *p.* 58. (specimen non vidi, sed descr. Linkii verbotenus convenit; lectum ad terram ollarum in vaporariis.)

Praecedentibus tenuius, laxius, *S. cinereovirenti* prioris sectionis respondens. Nostrum lectum est Petropoli *in ramis dejectis salicinis.* (v. s.)

Color in nostro persistens, nec canescens, qualem Persoon describit, ut Byssum fingeres. Sed hac de re silet Link.

10. *S. cinnabarinum*, floccis tenellis erecto-intricatis ramosis roseis, sporidiis globosis cinnabarinis.

Demat. cinnabarinum. *Pers. Syn. p.* 697. (A. S. vero Byssus rubens.)

Maculis expansis velutinis sublimitatis colore pulchre roseo-cinnabarinis mox dignoscitur. Colore saltim convenire videtur haud satis cognitum *Acremonium nitidum* Mart. Erl. p. 339, sed acervuli minuti, $\frac{1}{4}$—2 lin. tantum longi. *Ad Daedaleam quercinam etiam nos vidimus, sed perfectius ad cortices arborum, raro.* (v. v.)

11. *S. aureum*, floccis ramosissimis erectis aurantiacis, sporidiis globosis concoloribus.

Trichoderma aureum. *Pers. Syn. p.* 232. ex Link. Botrytis aurantiaca, *Link! Obs.* 1. *p.* 12. *f.* 18. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 35. *Link Spec.* 1. *p.* 59. (Cfr. *Sow. t.* 378. *f.* 12.)

„Caespites format late effusos ad plures pollices expansos, ad lin. crassos, colore persistente. Siccum difficillime a *Sp. aurantiaco* distinguitur.“ Link. Vidi quidem, sed inter varia affinia rite limitare non potui. *In caulibus plantarum praecipue Umbelliferarum siccarum, corticibusque arborum.* Link. (v. v.)

12. *S. flavicans*, floccis vage ramosis erecto-intricatis sporidiisque globosis flavicantibus.

Botrytis flavicans. *Link! Spec.* 2. *p.* 36. B. flavida. *Mart. Erl. p.* 343. (Acladium microspermum. *Link*?)

Effusum, tenuissimum, statura *S. olivacei;* Acladiis Link et Sporotrichis ejusdem prope accedens, fugax. Color floccorum juniorum albicans. *Ad ramos dejectos.* (v. s.)

13. *S. conspersum*, floccis erectis subsimplicibus e luteo albis, sporidiis ovalibus hinc inde adspersis albidis.

Acladium conspersum. *Link! Obs.* 1. *p.* 9. *f.* 13. *Nees Syst. p.* 54. *f.* 50. *Pers. Myc.* 1. *p.* 28. *Desmaz. exs. n.* 401.

Tenellum, indeterminatum, „caespites initio format parvos, tum late expansos.“ Habitu ita cum praecedentibus convenit sporidiisque vage adspersis cum n. 7. et 8, ut non potuerim non ad hoc genus referre. *Ad truncos putrescentes.* (v. v.)

14. *S. densum*, floccis in caespitulum globosum condensatis virgate ramosis sporidiisque ovalibus albis.

Trichoderma candidum. *Alb. et Schwein. p.* 137. Botrytis densa. *Dittm.! apud Sturm. Deutschl. Fl. III.* 4. *t.* 52. *Link Spec.* 1. *p.* 54. (non *Sp. densum* Link, Nees Syst. f. 45., quod mycelio Isariarum prorsus saltim convenit.)

Reliquis, excepto forsan n. 6., compactius, Trichoderma minutum candidum, lineam passim tantum latum, aemulans. Sporidia copiosa. *Ad cortices vetustos, muscos etc. frequens.* (v. v.)

Hae species satis insignes sunt, facili negotio discernendae. Plures afferre *nolui. Botrytis geotricha*

(Geotrichum candidum *Link Obs.* 1. *p.* 15. *f.* 26. *Nees Syst. f.* 43. Torula Geotricha *Corda*), *B. epigaea* Link! etc. a myceliis certe dignoscere non valeo.

*** *Floccis sporidia primo obtegentibus, convergenti - intricatis, dein relaxatis vagis sporidiis adspersis.* Flocci semper albidi. Sporotrichum pr. s. d. Auctorum.

In diverso statu horum et antecedentium individua adeo simillima sunt, ut ne levissimum quidem discrimen inveniatur. A myceliis utique distingui possunt autonoma, si per totam evolutionis seriem observantur (floccis convergenti - caespitosis, sporidia primo obtegentibus, sporidiorum copia e. s. p.), sed hoc fieri nequit ad singula cujusque status specimina sive viva sive sicca. Tota historia observanda est. Centuriam saltim s. d. Sporotrichorum observaveram, cum veram demum naturam perspexi, antecedentiaque mea studia frustranea intellexi. Omnia denuo observandi defuit tempus; melius igitur visum est haec seponere, quam dubiis scientiam onerare. Neque e descriptionibus hactenus datis, utrum verae an spuriae sint species, perspicitur; hinc unam alteramve tantum addam. Cfr. ceterum *Link*, *Persoon*.

15. *S.? calcigena*, tenue, effusum, floccis laxis, sporidiis globosis nigris.

S. calcigena. *Link! Spec.* 1. *p.* 18. c. syn.

Colore nigricante tingit parietes calce nuper illinitos. *Sp. parietum* Link l. c. alter videtur status, sed utriusque vegetatio hanc speciem abnormem et suspectam reddit. *Vratislaviae lectum.* (v. s.)

16. *S. virescens*, caespituloso - intricatum, dein effusum laxum, floccis tenerrimis, sporidiis globosis obscure olivaceo - viridibus.

S. virescens. *Link! Spec.* 1. *p.* 16. excl. syn. pl.

Ad specimina Linkiana mihi primo quoque status exoletus *Trichodermatis viridis* videbatur, dein

vero copiosissime per omnia stadia sequi licuit. Caespitulos primo sistit rotundos, compactos, tela araneae instar obductos; dein vero laxe effusum, sporidiis effusis inquinans, floccis raris et tenerrimis. *Copiosissime ad ligna scissa pinea, humida coacervata, hieme.* (v. v.)

17. *S. chlorinum*, erecto-intricatum, floccis densis mollissimis simplicibus ramosisque, sporidiis glomeratis globosis flavoviridibus.

S. chlorinum. *Link! Spec. 1. p. 17. c. s.*

Pannum effusum indeterminatum amoene flavoviridem sistit, nec hactenus vidi vere caespitoso-intricatum. Flocci copiosi, persistentes, erectiusculi, ut potius ad *Acladia* Link, seu priorem sectionem referendum esset. *Ad folia exsiccata.* (v. v.)

18. *S. griseum*, effusum, tenue, floccis densis, sporidiis crebris globosis griseis.

S. griseum. *Link Spec. 1. p. 8. c. s.* (Affine dicitur *S. murinum* l. c. e definitione vix discernendum, nisi loco terrestri.)

Obiter vidi, sed historiam et originem haud persecutus sum. Forte *Sp. fuliginosum* Pers. status primarius. *Ad caules plantarum prope terram locis humidis.*

19. *S. vinosum*, pannosum, intertextum, e sporidiis globosis vinoso-cinerascens.

Dematium vinosum. *Schwein.! Car. n. 1344.*

Ad *S. chlorinum*, in statu nempe viso, accedit, majusculum et caespites longos efficiens. *Ad fungos putridos Carolinae.* (v. s.)

20. *S. salicinum*, pannosum, intertextum, e sporidiis globosis rubiginosum.

Demat. salicinum. *Pers. Syn. p. 699. A. S. p. 368.*

Affine *S. chlorino* videtur, at tenuius, determinatum. Majus, quam Europaeum, in foliis *Aceris rubri* in America vidit Schweiniz. *Ad folia dejecta salicina, e grege Vetricum, hieme, varius.* (v. v.)

Aliam subfulvam speciem ad folia salicina lectam misit *Greville.*

21. *S.? fusco-album*, pannosum, effusum, floccis erectiusculis, sporidiis subovalibus maximis fuscis.

Sporotrichum fusco-album. *Link! Spec.* 1. *p.* II. *Sp.* oosporum. *Ehrenb.! silv. Ber. p.* 10.

Est inter evidentiores et vulgatissimas species, maculas sistens latius expansas medio fuscas ambitu albas, sed evolutione discrepat Thelephorarum elementis simile. *Ad truncos putridos.* (v. v.)

22. *S. ruberrimum*, caespitoso-conglomeratum, primo floccis tenerrimis tectum, dein sporidiis nudis copiosissime coacervatis globosis lateritio-rubris.

Verissimum *Sporotrichum* sensu nostro, sporidiis admodum compactis, floccis evanidis, denudatis. *Ad pannum putridum cum Sporotricho sulphureo loco suffocato.* (v. v.)

23. *S. mycophilum*, tenue, effusum, floccis crispis, sporidiis copiosissimis globosis rubris.

Sp. mycophilum. *Link Spec.* 1. *p.* 15. *c. s.*

Verissima videtur Sporotrichi (nisi Aleurismatis) species ob floccos crispos, fugaces, formantes acervulos demum confluentes, repentes per rimas et sulcos *in fungis majoribus.*

24. *S. roseum*, floccis caespititiis erectis, demum evanidis laxis, sporidiis congestis globosis roseis.

Sp. roseum, *Link Obs. II. p.* 35. non Pers., quod Byssi spec.

a. Sp. ollare. *Link Spec.* 1. *p.* 12. ad muros et ollas figulinas.

b. Sp. vesicarum. *Link! l. c. p.* 13. in vesicis vitra tegentibus.

c. Sp. pannorum. *Link. l. c.* in panno putrescente. In charta corrupta a me lectum.

Species tenella, primo erecto-caespitosa, dein relaxata, floccis rarioribus. Colore sporidiorum dignoscitur. Species allatas haud distinxi, cum planta a me visa in nullam earum plene quadret, ut e statione mutetur. *Botr. rosea* Link! Spec. p. 57. hu-

jus habet colores, floccos vero Sporotrichi flavicantis. *Legi ad caules plantarum siccos.* (v. v.)

25. *S. aurantiacum*, effusum, floccis cripsis laxis, sporidiis globosis croceis (fulvisve.)

Mucor aurantius. *Bull. Champ. t.* 504. *f.* 5. Aegerita aurantiaca. *Dec. Fr.* 2. *p.* 72. ex Link. Sp. aureum. *Link! Spec.* 1. *p.* 15.

Flocci primo evidentes, in ambitu nudi albi, demum omnino evanescentes. Cum spec. Linkiano non prorsus convenit planta a me lecta magis effusa, sporidiis fulvis, at vix differt. *Ad cortices prostratos.* (v. v.)

26. *S. merdarium*, caespitoso-intricatum, limitatum, floccis laxis, sporidiis globosis minutis congestis rubris. *Link.*

a. scotophilum. *Link! Spec.* 1. *p.* 16.
b. sporidiis roseis. Sp. stercorarium. *Link! l. c. p.* 13.
c. sporidiis flavis. Sp. merdarium. *l. c. p.* 10.
d. sporidiis pallide flavis. Sp. inquinatum. *l. c.! p.* 5.

Hae quatuor formae ab Ill. Linkio ipso sub nomine *Sp. merdarii rubri*, *rosei*, *flavi* et *albi* junguntur; nam omnes eodem loco lectae sunt et forma omnino congruunt. Caespituli 3—4 lin. lati. *In merda humana, Berolini lectum.* (v. v.)

27. *S. vitellinum*, floccis in caespitem laxum, dein effusum intricatis, sporidiis laxis globosis ochreaceo-flavis.

Sp. vitellinum. *Link Spec.* 1. *p.* 10. c. s.? „color fugax.“

Eodem loco cum *Sp. virescenti* hoc legimus, at multo majus est, irregulare magis in statu vegeto expansum. Flocci evidentiores, in caespitem collecti; in medio caespitis laxi obviam veniunt sporidia, dein floccis evanidis effusa. *Sp. flavissimum* Link! sporidiis flavissimis recedit. *Ad ligna pinea scissa coacervata, hieme.* (v. v.)

28. *S. sulphureum*, floccis in caespitem minutum junctis, dein evanidis, sporidiis minutis globosis coacervatis sulphureis.

S sulphureum. *Grev.! Crypt. Scot. t.* 108. *f.* 2. Sp. laetum et sparsum. *Link Spec.* 1. *p.* 9. 10.?

Certissime a praecedente differt. Flocci tenerrimi, primo tegentes sporidia in acervum stipata, dein evanescentes, acervum sporidiorum nudum relinquentes. Color flavissimus, sulphureus. *Ad chartam putridam, in panno putrescente etc. satis frequens, locis suffocatis.* (v. v.)

29. *S. luteo-album*, tenue, effusum, floccis laxis, sporidiis parvis globosis flavescentibus.

Sp. luteo-album. *Link Spec.* 1. *p.* 9. *c. s.*

„Flocci instar telae araneae (status forte collapsus) caules investiunt, at non obtegunt, sed remote sese decussant; facillime evanescunt" Link. *In caulibus plantarum exsiccatis inprimis Umbelliferarum.*

30. *S. caesiellum*, tenerrimum, primo caespitulosum, dein laxum, floccis raris, sporidiis globosis albido-caesiis.

Admodum tenellum; caespitem primo sistit floccorum erecto-convergentium vix conspicuum; tum flocci breves, dein decumbentes, effusi, araneosi, sporidiis conglomeratis hinc inde adspersi. *Ad folia decidua coacervata Fagi Castaneae, Aceris Pseudoplatani* etc. *ineunte hieme.* (v. v.)

31. *S. polysporum*, caespititium, subcompactum, limitatum, floccis densis, sporidiis globosis minutis albis.

Sp. polysporum. *Link! Spec.* 1. *p.* 2. *c. s.*

Varias ante oculos habui formas, etiam tenuiores, quae autonomam efficere videntur speciem. Flocci sat persistentes. *Ad cortices, caules plantarum* etc. (v. v.)

32. *S. laxum*, tenuissimum, laxum, floccis raris, sporidiis ovalibus albis.

Sp. laxum. *Link Spec.* 1. *p.* 1. *Nees Syst, f.* 45. Sp. minutum. *Grev. Crypt. t.* 108. *f.* 1.

Penultimo simile, junius utique in caespitem condensatum minutum, sed collabescendo flocci mox relaxantur et rarescunt. *Ad truncos, in merda etc.* (v. v.)

Reliquae Auctorum species nimis incertae mihi videntur. Plures e Lichenosarum grege potius videntur v. c. *Sp. Pulveraria, latebrarum, olivaceum* etc. P. Omnes expansae Mycelia.

VIII. ACREMONIUM. Link.

Link Obs. 1. *p.* 13. *Nees Syst. p.* 45. *Syst. Orb. Veg.* 1. *p.* 178.

CHAR. Flocci septati, ramulis lateralibus tenuissimis terminatis sporidio? vesiculari adnato. *Flocci decumbentes apice pronascentes.*

Obs. Araneae telam referunt tenellae et delicatae hujus generis species, quas autonomas adhuc non constat. Recedunt maxime a typo Mucedinum normali floccis decumbentibus sporidiorumque indole. Tangunt evidentia Mycelia, qualis certe huc relata *Himantia globulifera* Schum. Auctorum fide insero juxta Sporotricha, cum viderim v. c. *Spor. cinereo-virentis* specc. immat., similibus sporidiis? vesicularibus, sed non pedicellatis, instructa.

1. *A. verticillatum*, album, ramulis fertilibus verticillatis, sporidiis? ovatis.

Acr. verticillatum. *Link! l. c. f.* 20. *Spec.* 1. *p.* 74. *Nees Syst. f.* 39. *Grev. Crypt. Scot. t.* 124. *f.* 2. *Mart. Erl. p.* 339. *Dub. Syn. Gall.* 2. *p.* 917.

2. *A. alternatum*, album, ramulis fertilibus alternis, sporidiis? globosis.

Acr. alternat. *Link! l. l. c. c. Diltm. apud Sturm, Deutschl. Fl. III. t.* 2. *Mart. l. c. Dub. l. c.*

Nudo oculo hae duae species vix discerni possunt, nisi loco illius *in truncis putridis* (v. s.); hujus *in foliis deciduis putridis v. c. populinis.* (v. v.)

3. *A. fuscum*, olivaceo - fuscum, ramulis fertilibus oppositis alternisve, sporidiis? globosis.

A. fuscum. *Kunz. et Schmidt Myc. Heft* 2. *f.* 23. *Link Spec.* 1. *p.* 75. *Grev. Crypt. Scot. t.* 124. *f.* 1.

Praecedentibus paulo majus, obvium in *ligno vetusto, caulibus herbarum, vere et autumno.* (v. s.)

Acremon. nitidum *Mart. Link.* non satis cognitum.

IX. TRICHOTHECIUM. Link.

Link diss. 1. *p.* 16, Nees Syst. p. 46. Dimera, *Fries S. O. V.* Diplosporium. *Link Spec.* 1. *p.* 64.

CHAR. Flocci uniformes, caespitosi, septati, subpersistentes, haud mucedinei. Sporidia immixta, didyma.

Obs. Omnia Sporotrichi, exceptis sporidiis didymis; sed haec passim etiam simplicia. Eadem adest duplex series, altera floccis magis discretis (*Dimera*); altera floccis intricato - convergentibus (*Trichothec.* pr. s. d.) Cfr. *Sporotrich.*

1. *T. nigrescens*, floccis erectiusculis fuligineo-atris, sporidiis ovalibus didymis.

Botrytis didyma. *Kunz.! et Schmidt Myc. Heft* 1. *p.* 81. Diplosporium. *Link l. c.*

Sporotricho nigro admodum simile. Caespites valde condensati, lin. alti, ultra unciam expansi. Flocci parum ramosi, recti, sub microsc. dilutiores, sed basi tantum pellucidi, ad ramos incrassati. Sporidia copiosissima, apicibus saepius inhaerentia. *Ad ligna sicca Lipsiae lectum hieme.* (v. s.)

2. *T. fuscum*, floccis adscendentibus fuscis, sporidiis oblongis subdidymis.

Macrotrichum heterosporium. *Grev. Ed. Phil. Journ.* III. *t.* 1.

Caespites tenues, indeterminati. Flocci ramosi, flexuosi, intricati, ramis divergentibus obtusis. Sporidia parciora, 1—2 septata, immixtis minutis

simplicibus, ut in sqq. *In capsulis emortuis Gentianae campestris lectum.*

3. *T. roseum*, floccis ramosis caespitoso-intricatis sporidia oblonga didyma rosea subtegentibus.

Mucilago. *Hall. helv. n.* 2132. Trichoderma roseum. *Quibusd. forte Hoffm. non Pers. A. S.* Trichod. carneum. *Schum.! Saell.* 2. *p.* 236. Mucor roseus. *Bull. Champ. t.* 504. *f* 4.? Botrytis. *Decand.* Trichoth. roseum. *Link Obs.* 1. *p.* 16. *f.* 27. *Nees Syst. f.* 47. *Grev. Crypt. Scot. t.* 172. *Desmaz. Exs.* 114.

Flocci uniformes, sed saepe steriles expansi; fertiles ramosi, tenelli, intricato-caespitosi (non decumbentes), incarnato-albidi. Ceterum statura et magnitudine admodum mutabile. Sporidia copiosissima, passim apicibus floccorum inhaerentia, majuscula, pellucida. Cum sq. Oidio affine. *Ad ramulos, caules herbarum* etc. *copiosissime, praecipue autumno.* (v. v.)

4. *T. domesticum*, crustaceo-effusum, pallide incarnatum, floccis simplicibus tenellis, sporidiis ovalibus.

Mutabile, in crustas leprosas expansum, rarius in acervulos congestum, pallide incarnatum. Initio velutinum, nec hispido-pilosum ut prius. Flocci erectiusculi, breves, flexuosi, apice sporidiiferi. Sporidia alia simplicia. *In caseo vetusto etc. nec non in plantis male siccatis Herbarii.* (v. v.)

X. OIDIUM. Link.

Aspergilli spec. sessiles. *Mich. gen. n. pl. p.* 212. Torulae spec. *Pers. Obs. Myc.* — *Corda in Sturm. III. Heft* 8. Oidium. *Link diss.* 1. *p.* 16. *Spec.* 1. *p.* 121. *Nees Syst. p.* 48. Acrosporium. *Nees l. c. p.* 53. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 23. Alysidium. *Kunz. Myc. Heft* 1. *p.* 18. — Typus: *Mucor leprosus.* Linn.

CHAR. Flocci biformes; primarii (mycelii) caespitosi, aequales, septati, partim evanescentes,

partim in fertiles moniliformes mutati. Sporidia ex articulis secedentibus orta, simplicia, pellucida.

Obs. 1. Genera *Torula*, *Monilia* Link (a Torula certe non separandum genus; *Torula herbarum* junior et vegeta omnino erecta ut Monilia Link) *Oidium* etc. e notis datis, licet microscopicis, bene observante *Corda*, discerni non possunt. At habitu et indole satis differunt Oidia et si propius accedere placeat, vegetationem et morphosin plene observando, parum affinia esse videbis — quare in systemate nostro ut *analogi* evolutionis gradus in diversis seriebus proponuntur. *Oidia* nempe omnino Mucedines sunt, parum admodum diversa a *Monilia* nostra, nec Link, nempe flocci stipitem sporidiorum catenis offerentis defectu; primitus enim sistunt mycelium floccosum, floccis subcaespitosis, aequalibus, septatis, omnino mucedineis, subinde *conidiis* adspersis!, quem statum auctores praetervidisse miramur. Hi flocci ob nexum systematis vegetationis et fructificationis primo erecto-divergentes plerumque sunt; in *O. Fusisporioide* centrifugo-expansi semper praesentes, intermediis in fertiles mutatis. Vulgo autem hi flocci partim evanescunt, partim in fertiles abeunt. Hoc tantum modo genus distingui potest tam ab Oidiis spuriis, v. c. *Oid. Uredinis* Link, ad Torulas pertinentibus, quam ab aliis floccis collabentibus v. c. *Oid. chartarum* Link a Myxotricho chartarum orto*). Etiam *Geotrichum candidum* Link (Torula Geotricha *Corda apud Sturm. III. Heft* 8. *t.* 33.) mihi mycelium alius Mucedinis collabentis adhuc videtur. Perfectum *Botrytidem* esse (B. geotricha *Link Spec.* I. *p.* 53.) auctor ipse monet, verum ista species, Auctoris specimine munito, adhuc mihi dubia est. Neutiquam sufficit singulam formam sub microscopio intueri,

*) Caute insuper separanda, morphosi observata vero facillime, variarum Mucedinum etc. sporidia (sub microscopio saepe) in similes floccos concatenata. !

sed tota morphosis sequenda est. Inter numerosa Oidia ea tantum recipio, quae iteratis vicibus hoc anno vidi. — Alia ratio est *Torularum* sensu nostro; in his nullum adest systema vegetativum discretum, melior pars oritur e sporidiis Uredinum, Stilbosporarum quasi concatenatis, e plantis erumpit e. s. p. Cum systema vegetativum a fructifero discretum primariam facile differentiam Hyphomycetum et Coniomycetum offerat, non potui non Torulas inter Coniomycetes recipere, tam ob affinitatem (nam facilius et in genera citata et in Sporidesmium, Phragmotrichum etc. abeunt, quam in Oidia), quam ob nexum cum aliorum generum mycelio v. c. Antennariae. Torulas hinc in analoga, non affini serie colloco.

Obs. 2. Oidiis et Torulis porro analogae sunt *Conoplea sphaerica* P., *Conopl. cinerea* P., *Conopl. ferruginea* Schwein. et forte etiam *Conopl. fusca* P. (Oidium subramosum *Link Spec.* 1. *p.* 125.) sporidiis minoribus eodem modo concatenatis, sed peridio inclusis in statu primario evidenti, *Hypheliae* et *Trichodermati* affines, quibus nomen servo *Conopleae* ad speciem P. primariam, cum, jubente Linnaeo, praesentibus aptis synonymis nova nomina non fingenda sint, cum *Conoplea hispida* distincti generis typum haud exhibeat, cum equidem nomina propria sigla notata aeque evitare studeam, ac quidam adamare videntur. Permultae illius generis nobis innotuere species. *Dichosporium* difficile a *Conoplea* sic restituta dignoscitur, nam peridium plurimorum eisdem granulis s. conidiis conspersum est. Catenae sporidiorum opacae (nigricantes) aut semipellucidae tantum. Ad has spectat *Michel. nov. gen. t.* 91. *f.* 6.

1. *O. aureum*, caespitibus densis, primo villosis albis, dein aureis, floccis fertilibus in articulos ovales secedentibus.

Aspergillus n. 5. *Mich. gen. p.* 213. *t.* 91. *f.* 5. Mucor leprosus, *Linn. Spec. Plant.* 2. *p.* 1656. Trichoderma dubium

Pers. Syn. p. 233. non minus hoc, quam Trich. dubium nostrum spectat.! Oidium aureum. *Link! Obs.* 1. *p.* 16. *f.* 29. *Spec.* 1. *p.* 121. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 20. *Nees Syst. f.* 44. Acrosporium. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 25., Torula. *Corda l. c. t.* 36.

Junius sistit tubercula rotundata, convexa, extus albo-villosa, floccis omnino aequalibus, ramosis. Sensim vero dilatatur, confluit et irregulare fit, floccis evanidis, colore pulchre aureo. Sporidiorum catenae solae demum superstites nunc erectae, nunc demum decumbentes, simpliciusculi, articulis facile decedentibus. Quae de *colore canescente* attulit Link, ad Byssi speciem spectare videntur. *Vulgatissimum ad ligna cariosa „praecipue in truncorum cavernis," ferme perenne.* (v. v.)

2. *O. fulvum*, caespitibus densis, primo albo-villosis, dein fulvis, floccis fertilibus in articulos oblongo-lanceolatos secedentibus.

Alysidium fulvum. *Kunz.! Myc. Heft* 1. *p.* 11. Acrosporium fulvum. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 24. Oidium. *Link l. c.* Torula. *Corda l. c. t.* 37.

Praecedenti tam affine, ut tantum sub micr. comp. discerni queant articulorum s. sporidiorum forma. *Locis similibus.* (v. v.)

Obs. Ex hac regione nova species: Aspergillus niveus caespitosus, seminibus (articulis) rotundis. *Mich. l. c. f.* 7. (*Oidium niveum*); nam tam articulorum forma, quam crescendi modo et loco diversum est a subsequentibus albis. *In Iligni corticis rimis in Italia, Decembri.* (v. ic.)

3. *O. fructigenum*, caespitulis subcompactis, primo floccis ramosis albis villosis, dein floccis simplicibus isabellinis in articulos ovales pellucidos secedentibus.

Torula fructigena. *Pers. Obs. Myc.* 1. *p.* 25. *t.* 1. *f.* 7. omnino hujus loci. Monilia. *Pers. Syn. p.* 693. *Alb. et Schwein. p.* 365. Acrosporium. *Pers. Myc. Europ.* 1. *p.* 24. Mucor. *Kunz.! et Schmidt Myc. Heft* 1. *p.* 80. *t.* 2. *f.* 22. *mich. Schwämm. n.* 225. *Link Spec.* 1. *p.* 22.
-morum. Oidium laxum. *Ehrenb.! Ber. p.* 122. *Link l. c.* 28. Acrosp. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 25.

Tubercula juniora matrici firmiter adnata, passim stroma hemisphaericum nigrum ut in *Exosporio Tiliae* offerenti, extus floccis longis aequalibus patenter ramosis dense albo-villosa. His vero evanidis aut potius in articulos constrictis floccos tantum monstrat moniliformes facile collabentes. Color varie indicatur; equidem saepius isabellinum vidi, in lutescentem aut griseum plus minus vergentem. Occurrit quoque locis suffocatis non collabens *Sporotrichi* instar luxurians. Simile videtur *Sp. fructigena* Link Spec. 1. p. 4. *Nil vulgatius ubique in fructibus putrescentibus: a. in pomis, pyris; b. in Prunis, Amygdalis, autumno.* (v. v.)

4. *O. virescens*, caespitibus densis obscure virescentibus, floccis subramosis in articulos ovales pellucidos secedentibus.

O. virescens, *Link Spec.* 1. *p.* 124.

Caespituli parvi, subrotundi, primo aspectu Cladosporii spem offerentes. Flocci juniores pro more aequales magis et subramosi, adultiores moniliformes simplices. Medium est cum sequente inter species compactas et laxas. *In foliis deciduis Alni, Carpini etc. autumno.* (v. v.)

5. *O. Fusisporioides*, caespitibus minutis densis aggregatis albis, in ambitu floccis aequalibus centrifugis cinctis, centri in articulos ellipticos collabentibus.

Fusisporium primo obtutu crederes ob floccos in ambitu plurium aggregatorum caespitulorum centrifugos aequales tenuissimos fugaces. Acervuli centrales, vix $\frac{1}{4}$ lin. lati, sed plures vulgo congesti, nudo oculo farinacei; sub microscopio sistunt floccos erectos simplices in sporidia longe elliptica facile collabentes. *Ad basin caulium herbaceorum emortuorum autumno.* (v. v.)

6. *O. Monilioides*, caespitibus laxis albis flavicantibusve, floccis simplicibus, in articulos ovales secedentibus.

Puccinia minuta. *Sowerb. t.* 400. *f.* 10. Botrytis simplex. *β.* Monilis. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 363. Monilia hyalina. *Fries Obs.* 1. *p.* 210. *t.* 3. *f.* 4. Acrospor. Monilioides. *Nees Syst. p.* 14. *f.* 49. *Grev. Crypt. Scot. t.* 73. Oidium. *Link Spec.* 1. *p.* 122. *Chev. Par. p.* 43. *t.* 3. *f.* 11. Torula. *Corda apud Sturm. Heft* 8. *t.* 34.

Caespituli subrotundi, aut effusi, at determinati, ob floccos discretos multo laxiores quam in ullo praecedentium. Flocci primarii tenerrimi subintricati, adulti moniliformes; articuli ultimi in formam subglobosam abeunt. Tactum conissat. *Pervulgatum in foliis languescentium Graminearum, jove irriguo calidiori. In Caldariis saepe taediosum cum Fumaginibus.* (v. v.)

7. *O. Erysiphoides*, late effusum, indeterminatum, album, floccis fertilibus hinc inde in acervulos collectis, totis in articulos ovali-oblongos secedentibus (subincarnatis).

Farinaria seminaria. *Sowerb. t.* 360. *f.* 1. ut apparet, sed Sowerbei Macedinum icones, ut Persoonii descriptiones sine analysi, dubiis semper premuntur.

Mycelium Erysiphes primo obtutu ita refert ut examine vix dignum censeas, at sub microscopio verum Oidium, crescendi modo licet alienum. Totam foliorum paginam superiorem vulgo occupant flocci effusi; jam sub lente discernuntur acervuli e floccis magis congestis, colore ex albo in incarnatum vergente. Hi flocci sub microsc. vere Oidii, erectiusculi, at ita fragillimi, ut mera videantur sporidia ovali-oblonga, maxime pellucida, reliquarum specierum fere majora. Passim vero in acervulis citatis videre tantum licet materiam grumosam, e sporidiis effusam. Vidimus varias affines, qualis etiam *Torula botryoides* Corda. l. c. t. 35. formas. *In foliis herbarum, praecipue Labiatarum, vivis autumno.* (v. v.)

8. *O. leucoconium*, maculari-effusum, album, floccis discretis, inferne continuis, sursum articulatis, in articulos ovales secedentibus.

O. leucoconium. *Desmaz.! exs. n.* 303. *Ann. Scienc. Nat.* 1829. *Maji. p.* 21. *t.* 6. *A.*

Tam hoc, quam *Erysiphe pannosa* sub nomine *le Blanc du Rosier* veniunt, a qua vero praecedens, visis speciminibus, omnino diversum est et praecedenti perquam affine. Diversum videtur floccis aequaliter aggregatis in maculas subdeterminatas, inferne continuis et colore prorsus albo. *In foliis variarum plantarum praecipue Rosarum.* (v. s.)

XI. BACTRIDIUM. Kunz.

Kunz. et Schmidt Myc. Heft 1. *p.* 5.

CHAR. Flocci septati, septis ultimis hinc inde tumescentibus in sporidia oblonga, secedentia, medio materia grumosa referta, apicibus hyalinis.

Obs. Flocci primarii caespitoso-erecti, dein apicum in sporidia turgescentium gravitate decumbentes et tandem evanescentes. Eximii generis Auctor, nomen a *βακτρον* sumens, jam observavit hujus sporidia a praecedentium longe diversa esse; ad Entophytorum vero et sequentium luculenter accedunt. Affinitas diu dubia fuit. Sequens vero genus transitum indicat ad Oidia, habitu non obstante, et *Macrosporium* luculenter evincit. Sporidia eadem lege oriuntur e septis tumentibus, eadem materia grumosa farcta sunt. Sed in Bactridio ultima septa tantum intumescunt, unde genus magis ad Mucorinos accedit. Species truncicolae, floccis albis, sed caespites materia grumosa sporidiorum effusa colorantur.

1. *B. flavum*, caespitibus compactis flavis, sporidiis oblongo-ovatis obtusis.

Tremella Mucoroides. *Bull. Champ. p.* 228. *t.* 499. *f.* 4. Bactridium flavum. *Kunz.! l. c. t.* 1. *f.* 2. *Nees Nov. Act. Ac. Nat. Cur. IX. p.* 234. *t.* 1. *f.* 3. *Link Spec.* 1. *p.* 34. *Duby Syn. Gall. p.* 217.

Caespituli irregulares, plerumque globosi, 1—2 lin. lati. Flocci primordiales, tenuiores, minus ramosi, remotius septati, quam in sequentibus. Aqua adfusa secedunt sporidia oblongo-clavata, materia grumosa flava medio infarcta. *In cortice et ligno vetusto rarior, autumno.* (v. v.)

2. *B. candidum*, caespitulis compactis candidis, sporidiis ovato-oblongis obtusis.

B. candid. *Kunz. l. c. p. 73. f. 20. Link l. c.*

Praecedenti affine, praecipue colore diversum. Caespituli subrotundi, depressi, lineam lati; Flocci evidentiores, ramosi magis et septati. *Ad ligna putrida Lipsiae lectum.* (v. ic.)

3. *B. carneum*, caespitulis suborbicularibus pallide carneis, aetate albescentibus, sporidiis ellipticis acutiusculis.

B. carneum. *Kunz. l. c. t. 2. f. 21. Nees Nov. Act. Ac. Nat. Cur. IX. p. 234. t. 2. f. 21. Link l. c.*

Caespituli minus compacti, lineam lati, sparsi raro confluentes, primo pallide carnei, aetate canescentes. Flocci prorsus praecedentis; sporidia vero acutiora. *Ad ligna putrida ad Basileam lectum.* (v. s.)

XII. SPORENDONEMA. Desmaz.

Desmaz. exs. n. 161. — Memoir.

CHAR. Flocci caespitosi, pellucidi, continui, intus e sporidiis seriatis annulati. Sporidia grumosa, magna, globosa, demum libera, late effusa.

Obs. Memorabile genus, cujus morphosis clara videtur. Tam facies, quam vegetatio cum Oidio conveniunt, flocci Oidii primitus itidem aequales simplices aut subramosi, sed massa grumosa sporidia formante in Oidio articuli simul intumescunt moniliformes et in sporidia secedunt. In Spo-

rendonemate autem sporidia intra floccum libera formantur, quales flocci non septati persistunt aequales. Facile fortior vegetatio in *solo animali!* ad hanc evolutionem contulerit; Torula jam primitus moniliformis visa est. — At ob floccos subcenotocos ad *Trichodermeos* facile referri potest. Sporidiis in apice floccorum tantum seriatis hoc genus magnam habet similitudinem cum Aregmate. — Floccos erectos esse Cel. Desmazières, nomen a *sporidiis intra floccos* sumens, jam rite observavit, sed hoc momentum in genericum characterem haud recepi, cum in toto ordine *nulli occurrant flocci vera sporidia ferentes decumbentes.*

1. *S. Casei*, floccis subramosis in caespitulos pulvinatos rubros contextis.

Mucor crustaceus. *Bull. Champ. t.* 504. *f.* 2. Aegerita crust. *Dec. Fr.* 2. *p.* 72. Oidium rubens. *Link Obs.* 2. *p.* 37. Sepedonium caseorum. *Link Spec.* 1. *p.* 29. Sporendon. Casei. *Desmaz.! ll. cc. Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 925.

In statu vegeto pulvinulos sistit Trichodermatis fere facie, dein sporidiis pulveris instar effusis rubris solum late obducit. Sporidia liberata etiam seriatim passim cohaerent et in hoc statu facile Oidium credas. *In caseis vetustis.* (v. s.)

2. *S. Sebi*, floccis simplicibus in caespitulos pulvinatos fuscos intricatis.

Torula epizoa. *Corda apud Sturm.* 8. *Heft t.* 45.

Habitus, locus etc. omnino hujus generis, et sporidia tubulis floccorum primitus recepta esse etiam descriptio Auctoris suadet, quare hoc loco recepi. Caespituli compacti, floccosi, vix lineam attingentes. Sporidia globosa, opaca. *In Sebo.* (v. ic.)

3. *S. Muscae*, floccis simplicibus in caespitulos sublobatos albos conglutinatis.

Habitus a priori admodum diversus; nudo oculo sistit tubercula subgelatinosa, inaequalia, saepe lobata, alba, minuta. Sub microscopio vero prioris structuram aperte monstrat. Flocci fertiles erecti,

simplices, obtusi, pellucidi, intus sporidiis seriatis globosis referti; adsunt simul alii flocci steriles longiores, flexuosi, multo graciliores. *In Muscis v. c. Musca canina, emortuis.* Dahlbom. (v. v.)

ORDO V.

SEPEDONIEI.

CHAR. Mycelium floccosum. Flocci sporidiiferi nulli. Sporidia cumulata, matrici incumbentia et ab eadem vulgo enata. *Flocci ut non sporidiiferi admodum varii, saepe evanidi, semper e membrana simplici facti.*

Obs. Ut transitum Hyphomycetum ad Coniomycetes tam Sepedonieos, quam Phylleriaceas in Vol. I. proposui, jam vero de harum autonoma vegetabili natura dubia movens. Sunt sane exanthemata tantum absque autonoma tam vegetatione, quam fructificatione, quare prorsus excludere necesse duxi. Verum autem inter Coniomycetes et Hyphomycetes, his propius tamen accedentem, evolutionis gradum sistunt Sepedoniei, a Coniomycetibus systemate floccoso vegetativo diversi. Floccis sporidiiferis nullis et sporidiorum origine facile a *Mucedinibus* dignoscuntur. Flocci Sepedonieorum ideo minoris ponderis sunt in systematicum usum. E loci varietate admodum mutantur; in corporibus succosis putrescentibus lanei; in caulibus, foliis siccis etc. tenues. *Stationes* et *qualitates* ceterum Mucedinum.

SYNOPSIS generum, sporidiis distinctorum:

I. SEPEDONIUM. Sporidia globosa pellucida, sporidiolis farcta, floccis mycelii lanei primo obtectis. *Fungis innata.*

II. **TUBURCINIA.** Sporidia inaequalia, globularia, opaca, infarcta, floccis mycelii tenerrimi primitus inhaerentia. *Radicibus innatae.*

III. **COLLARIUM.** Sporidia globosa, simplicia, in acervos gelatinosos conglutinata, mycelio tenello (sublanoso) intertexta. *In cibariis etc. putrescentibus.*

IV. **FUSISPORIUM.** Sporidia fusiformia, in acervulos matrici incumbentes conglutinata. Sporidiorum septa obsoleta evanidaque. *In plantis putrescentibus.* (*Mycelium varium.*)

V. **EPOCHNIUM.** Sporidia coacervata, matrici adnata, oblonga, apiculata, septata. Mycelium mucedineum. *In fungis fructibusque putridis.*

VI. **SCOLICOTRICHUM.** Sporidia oblonga, haud apiculata, didyma. Flocci mycelii contigui. *In vegetabilibus emortuis.*

VII. **PSILONIA.** Sporidia simplicia, pellucida, haud conglutinata, primo floccis mycelii contigui convergenti-intortis obtecta. *In vegetabilibus exsiccatis.*

VIII. **ALEURISMA.** Sporidia simplicia, subcolorata, libera, in acervulos collecta, floccis mycelii septati intertexta velataque. *In vegetabilibus siccis.*

IX. **DENDRINA.** Sporidia simplicia, pellucida, matrici innata, floccis mycelii discretis in maculam conglutinatis obtecta. *Ad caules herbarum siccos.*

X. **SPORISORIUM.** Sporidia sub epidermide plantarum vivarum cumulata, erumpentia, simplicia, floccis raris intertexta.

I. SEPEDONIUM. Link ref.

Uredinis spec. *Pers. Syn.* Sepedonium et Mycogone, *Link Nees.* Mycobanche, *Pers. Champ. Comest.*

CHAR. Sporidia magna, globosa, sporidiolis plus minus evidenter farcta, pellucida, vegetabilibus putridis innata, *mycelio lanato fugaci libero primitus obtecta.*

Obs. Nomen a σηπεδων, ob locum in fungis *putridis*, huic generi praeprimis competit. *Sepedonium* Link, in cujus sporidiis etiam sporidiola vidi, et *Mycogone*, habitu et vegetatione simillima, differunt tantum appendiculo sporidiorum in hac praesente, in illo deficiente, quod ceteris congruis minus essentiale videtur. Cfr. *Oedemium.* Analogia generum in hoc ordine cum praecedentibus minus evidens est; *Sepedonium* et *Tuburcinia* generibus sporidiis primo inclusis quodammodo respondent.

1. *S. chrysospermum*, floccis lanaeformibus densis albis, sporidiis haud appendiculatis aureis.

Mucor chrysospermus. *Bull. Champ. t.* 504. *f.* 1. Reticularia, *Ib. t.* 476 *f.* 4. *Sowerb. t.* 378. *f.* 13. Mycobanche. *Pers. Champ. Comest.* Uredo mycophila *Pers. Obs. Myc.* 1. *p.* 16. *Syn. p.* 214. Sepedonium. *Link! Spec.* 1. *p.* 29. *Obs.* 1. *p.* 16. *Nees Syst. f.* 38. *Grev. Crypt. Scot. t.* 198. *Chev. Par. t.* 3. *f.* 16. *Kunz. et Schmidt exs. n.* 223.

Non tantum lana alba fungos putrescentes obducit, sed maturum, floccis evanidis, eosdem dissolvit, quasi in pulverem luteum fatiscentes; sporidia enim per totam fungi substantiam penetrant. *Vulgatissimum praecipue in Boletis, omnem quibusdam annis B. subtomentosum destruens, autumno.* (v. v.)

2. *S. roseum*, floccis lanaeformibus albis, sporidiis appendiculatis rubris.

Mycogone rosea. *Link! Obs.* 1. *p.* 16. *Spec.* 1. *p.* 26. M. incarnata. *Pers. Myc. Eur. I. p.* 26.

Historia praecedentis, sed fungos non ita dissolvit in superficie magis crescens. Sporidia ma-

jora, sub microscopio annularia, appendiculo brevi filiformi aucta. *Cum praecedente; legi in Boleto pachypode.* (v. v.)

3. *S. cervinum*, floccis lanaeformibus albis, sporidiis appendiculatis flavofuscis.

M. cervina. *Dittm. apud Sturm. Heft* 4. *t.* 53. *Pers. Myc.* 1. *p.* 26. *Link Spec.* 1. *p.* 30.

Praecedentibus tenuior ceterumque colore diversa species. *Lecta in Peziza macropode.* (v. ic.)

Inter *Philonias*, *Fusisporia*, *Epochnia* etiam occurrunt species Mycogenae. Memorat insuper Pers. l. c. speciem *Mycogenes album*.

II. TUBURCINIA. Fries.

CHAR. Sporae rotundatae, inaequales, opacae, sporidiis minimis pellucidis secedentibus farctae, plantis putridis innatae, floccis raris tenellis intertextis evanescentibus primo adhaerentes.

Obs. Ut prioris species omnes cognitae Fungos, hujus radices fungosas *tuburcinantur*. Quoad fructificationem ad *Sepedonium* et *Collarium* accedit, ut *Oedemium* ad Sporocyben et Myxotrichum l. ut *Stachylidium* ad Aspergillum et Botrytidem. Sporidia abeunt in sporas, sporidiis farctas. Sunt quidem haec sporidia ejusdem dignitatis ac sporidia Psiloniae, sed etiam sporidiolis Sepedonii respondent. Flocci, prioris modo evanescentes, mycelium discretum non formant, sed sporis tantum intertexti, has demum nudas relinquunt copiose coacervatas.

1. *T. Orobanches*, immersa, sporis nigris inaequalibus, floccis raris.

Rhizoctonia Orobanches. *Merat! Fl. Par.* 2.

Radices et basin Orobancharum tumescentes comedit pulvis copiosus coacervatus niger, radicibus primo prorsus inclusus et inter harum fibras in loculos divisus. Micr. comp. subjectus sistit sporas

magnas, rotundato-inaequales, adfusa aqua sporidia minuta exacte globosa pellucida fundentes, primo floccis raris cohaerentes. Dein vero tam dissepimenta, quam epidermis franguntur, et sporae nudae, absque floccis, Sepedonii more, cumulatae. *Ad radices Orobancharum in Europa australi.* (v. s.)

2. *T. Monotropae*, erumpens, sporis nigrofuscis inaequalibus, floccis evidentibus.

Praecèdenti affinis, sed magis superficialis est et erumpens, sporidia fuscescunt et flocci copiosiores adsunt. *Ad radices et caules Monotropae cum praecedente.* (v. s.)

3. *T. punctiformis*, floccis in tubercula implexis, sporis globosis e coeruleo fuscis.

Aegerita punctiformis. *Dec. Fr. 2. p. 72.* Sporotrichum, *Link Spec. 1. p. 11.*

Tubercula erumpentia, parva, e coeruleo fusca, magnitudine capitis aciculae. Sub micr. sistunt globulos sphaericos copiosissimos adhaerentes floccis ramosis tenellis. — Haec descriptio et locus *Tuburciniis* bene convenit, ut in hoc genere recipere non dubitarim. *In bulbo Hyacinthi, aqua sola nutriti, lecta in Gallia.*

Ad hoc genus accedit colore et loco *Dendrina pulla*, sed sporidia sporidiolis non farcta sunt nec floccis adhaerent, sed flocci sporidia obtegunt fere discreta.

III. COLLARIUM. Link.

Link Obs. 1. p. 15. Nees Syst. p. 47. Coccotrichum, *Link Spec. 1. p. 25.* Sporotrichi spec. *Ib.*

CHAR. Sporidia globosa, simplicia, in acervos conglutinata, floccis mucedineis (mycelio) cincta vel intertexta. *Flocci sporidiiferi nulli.*

Obs. Genus cum *Sporotricho* iterum conjunxit Auctor, mihi vero separandum videtur, *Mysotricho* et *Botrytidi* priarum serierum evidenter

respondens. Flocci mere mycelium sistunt; sporidia in speciebus visis conglutinata in acervos matrici inhaerentes; numquam e floccis orta vidi. Ad *Fusisporia* hinc proxime accedunt, ne dicam abeunt, cum exstent status horum sporidiis, potius gonidiis, globosis. At *Collarii* sporidia evidenter perfecta sunt, eorum acervuli discreti. Nomen a loco speciei primae inventae ob sporidia omnium conglutinata aptum est.

1. *C. flavum*, floccis tenellis evanescentibus albis, sporidiis in tubercula flava conglutinatis.

E cibis corruptis protuberant acervi flavi, fere innati, nunc globulares, nunc effusi, e sporidiis arcte conglutinatis facti. Haec tubercula cincta sunt floccis tenellis mucedineis evanescentibus, quare acervi soli demum supersunt. *Legi in pastis e farina Avenae confectis.* (v. v.)

2. *C. granulosum*, floccis tenellis evanescentibus nigro-cinereis, sporidiis in globulos ovatos granulosos opacos conglutinatis.

Aleurisma granulosum. *Mart. Erl. p.* 335. Sporotrichum. *Link Jahrb. d. Gewächsk.* 1. *p.* 183. Coccotrichum Martii. *Link Spec.* 1. *p.* 26.

Quatenus hanc speciem non visam intelligere possum, hujus sit generis „Sporidia" maxima, nuda, granulosa, irregularia (sporidia numquam irregularia sunt) floccis interspersa pro acervo sporidiorum conglutinato habeo. Reliqua cum hoc genere optime conspirant, immo locus in aliis mucedineis subparasiticus. *In corporibus corruptis. Lectum in Syrupo Diacodii Erlangae.*

3. *C. nigrospermum*, (*melanospermum*), floccis lanoso-stuposis persistentibus albis, sporidiis globosis in acervos nigros conglutinatis.

Coll. nigrispermum. *Link! Obs.* 1. *p.* 15. *f.* 11. *Nees Syst. f.* 42. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 7. (Omnes icones e Linkio mutuatae floccos decumbentes etc. sistunt.) Sporotr. Collae. *Link Jahrb. l. c. p.* 182. *Spec. p.* 19. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 82.

Mycelium hujus speciei valde insigne, compactum. lin. crassum, vegetum omnino erectum (cum *Fusisporii pyrini* comparandum), basi interspersis globulis nigris. Hi globuli constant e sporidiis globosis minus pellucidis conglutinatis. *In colla putrescente.* (v. s.)

4. *C. lyococcum*, floccis lanoso-stuposis persistentibus sordidis, sporidiis variis in acervulos nigros conglutinatis.

Sporotrich. lyococcum. *Ehrenb. silv. Ber. p.* 22. *Link Spec. 1. p.* 18.

Praecedenti affine, itidem caespites stuposos formans, sed flocci sordidi (grisei aut lutescentes), sporidia saepe truncata, subinde didyma. More hujus generis specierum aliis myceliis vulgo intricatum, ut hoc ab *Oidio fructigeno* concolori aegre saepe discernere potuerim. *In drupis Pruni Armeniacae* Ehrenb., *in pomis.* (v. v.)

IV. FUSISPORIUM. Link.

Fusisporium, Fusidium. *Link Obs. 1. p.* 6, 17. Fusisp. *S. Orb. Veg. 1. p.* 186.

CHAR. Sporidia fusiformia, pellucida, in acervos matrici incumbentes coacervata conglutinataque, adfusa aqua celerrime diffluentia, non apiculata. Septa nulla l. evanescentia. *Flocci sporidiiferi nulli, mycelium varium, semper vero mucedineum.*

Obs. Genus in statu perfecto sporidiis conglutinatis et fusiformibus facillime distinctum; probe vero est observandum, occurrere simul status tam steriles, conidiis adspersis, quam fertiles sporidiis globosis (inter perfecta et conidia intermediis). Talis status *Fusisp. Buxi* est *Tubercularia Buxi* Decand., similesque plurimarum legi specierum, quas olim cum *Psilonitis*, vix credibili hac metamorphosi non-

dum perspecta, microscopio seductus jungendas finxi. Aliter vero passiva observatio nexum docuit. Cfr. *Psiloniam*, ubi horum generum differentiam exposui. Sporidia perfecta celerrime diffluentia *) cum *Fusarii* conveniunt, et maxima sane inter haec genera in praesenti longe removenda, intercedit affinitas. In illis vero adest stroma e conidiis vulgo formatum, in Fusisporio tantum mycelium e. s. p. Cfr. *Fusarium*. Flocci *Fusisporii*, ut mycelium tantum, admodum mutantur. *Minime semper decumbentes et septati*, potius in plerisque erecti; saepe in eodem caespite septati et contigui v. c. in *Fusisp. Betae;* subinde mox evanescentes; sed ut mycelium characteres genericos non offerunt.

* *Floccis lanaeformibus sporidiisque in stratum late effusum tremellinum* (nudo oculo contiguum) *conglutinatis.*

In statu conidiophoro aegre sub micr. discernuntur, sed vegetatio et habitus ceterum admodum diversa. Omnes locis admodum succosis obviam veniunt.

1. *F. sanguineum*, late effusum, tremellinum, sanguineum, sporidiis longissimis strictis utrinque acutissimis.

Maculas late expansas, mucedineo-tremellinas, sanguineas sistit. In ambitu flocci quidam liberi radiatim expansi albidi conspiciuntur. Sporidia omnium longissima, haud septata, floccos referentia. *Supra truncum Betulae nigrae in Lundegard, succo verno tempore profluente madidum.* (v. v.)

2. *F. ebulliens*, intumescens, tremellinum, flavum, sporidiis longissimis strictis utrinque acutissimis.

In disco truncorum verno tempore obtruncatorum e succo profluente viscosorum ebullit mirabilis haec species Tremellam flavam referens. Forma valde

*) Inter Phyceas Fusisporiis plene respondent *Cymbellae*, ut sub microsc. non distinguas!

varia, undulata, effusa, lobulata, subtus saepe inflata, unde a matrice facillime secedens et liberatum. Componitur e floccis ramosis intertextis pellucidissimis et sporidiis fere praecedentis. Haec stricta dicimus, sed plurimae species ad curvaturam tendunt. *In trunco Salicis mollissimae, Majo legi.* (v. v.)

3. *F. flavum*, effusum, arcte adnatum, tremellinum, pallide flavum, sporidiis tenuissimis curvulis.

Fortasse satis maturum non vidi, conidia enim minima globosa copiosissima; sporidia parca, tenuissima, haud septata. De genere vero et differentia a praecedentibus minime dubitamus. *In caulibus Asterum; ex horto Bonnensi.* Fr. Nees. (v. s.)

4. *F. Betae*, effusum, tremellinum, adpressum aurantio-rubrum, sporidiis tenuissimis curvulis.

F. Betae. *Desmaz.! Exs. n.* 305. *Ann. Scienc. Nat.* 1830. *Avr. t.* 18. *f.* 2.

Habitus praecedentium, arcte adnatum. Sporidia copiosississima, tenuissima, utrinque acuta, alia simplicia, alia septata. Flocci plurimi nequaquam, alii parce septati. *Ad radices Betae rubrae putrescentes in Gallia, vere.* (v. s.)

** *Floccis lanaeformibus liberis, sporidiis conglutinatis.*

5. *F. avenaceum*, floccis lanaeformibus albis undique exstantibus, basi tremellosa flava e sporidiis longissimis fusiformibus curvulis conglutinatis.

F. avenaceum. *S. M. II. p.* 238. *in Obs.* — *Sommerf. Lapp. p.* 212. in not.

Valde insignis, ut omnes antecedentes species. Culmos recenter desectos *Avenae*, *Hordei* etc., quasi e succo exstillante natus, obtegit fungus gelatinosus flavus, floccis longis undique exstantibus albo-lanatus. Sporidia longissima, non colorata sub microsc., plus minus incurva, rarissime septata. *Loco*

indicato post messem, Augusto pluvioso passim copiosissime. (v. v.)

6. *F. pyrinum*, floccis lanaeformibus densissime intertextis pulvinato-compactis candidis, sporidiis conglutinatis purpurascentibus.

Nobilissima generis species! Duplex mihi obvia forma: a. Flocci erecti, sed intricati, tenuissimi, ramosi, septati, formant lanam compactam, *elasticam*, 2 lin. usque crassam, pulvinatam, nunc in caespites subrotundos nunc effusos stipatam, candidissimam et persistentem. Intra hanc hinc inde observantur maculae tenues, violaceo-purpureae, matrici adnatae et *Sepedonii* more profunde eam intrantes, quae offerunt sporidia elongato-fusiformia, pellucida, utrinque acuta. b. Quando vivam legebam, α. omnino similis erat, sed prorsus sterilis. Per mensem intra domum cum matrice servatum monstrabat mycelium late effusum prostratum acervulis sporidiorum purpureo-rubellis, hinc inde floccis mycelii adglutinatis. *Ad pyros putrescentes* C. S. Berling. (v. v.)

7. *F. aurantiacum*, floccis lanaeformibus liberis albis, demum evanescentibus, sporidiis conglutinatis tenuibus curvulis.

F. aurantiacum. *Link! Obs.* 1. *p.* 17. *Spec.* 1. *p.* 30. *Nees Syst. p.* 46. *t.* 40. *f. B. Chev. Par. t.* 5. *f.* 11.

Plurimae sunt hujus formae tam e loco, quam e statione. Primariam in peponibus *Cucumeris sativae* legi. Caespites nunc minuti, nunc effusi, semper praecedentibus longe minus spectabiles. Flocci lanati, ramosi, intricati, *conidiis globosis conspersi*, cingunt sporidiorum acervos; sed flocci demum prorsus evanescunt, sporidia strati instar tremellini sola relinquentes. Sporidia in medio caespite accumulata, tenuia, curvula. *Ad* caules et folia Cucumeris lanam tantum, gonidiis adspersis, absque sporidiis vidi. Talem statum longe diversi esse generis

facile fingeres. *Ad fructus et caules putrescentes frequens, autumno.* (v. v.)

8. *F. argillaceum*, floccis paucis erectis simplicissimis in caespitulos collectis, sporidiis circa floccorum basin conglutinatis longissimis argillaceis.

A praecedente abunde diversum; vegetatione omnino *Tuberculariae Buxi* Dec., sed flocci magis persistentes. Hi pauci, omnino erecti, stricti, simplicissimi, subulati, pellucidi, septati, absque conidiis adspersis in caespitulos minimos punctiformes juncti. Sporidiorum acervi argillacei, sed ipsa sub micr. prorsus decoloria, longissima, utrinque cuspidata. Simillimos legimus caespitulos *sporidiis prorsus globosis* celerrime quoque diffluentibus. *In peponibus Melonum, autumno.* (v. v.)

*** *Floccis tenuissimis evanescentibus, sporidiis matrici incumbentibus, primo gelatinoso-conglutinatis.* Fusidium Link.

9. *F. aureum*, effusum; floccis tenellis evanescentibus, sporidiis fusiformibus rectiusculis aurantiacis.

Fusidium aureum. *Link Obs.* 1. *p.* 6. *Spec.* 2. *p.* 97.

Colore a sequentibus; defectu stromatis, sporidiis laxioribus rectis nec incurvis a F. expanso differt. *In fungis putridis.* (v. s.)

10. *F. flavovirens*, maculaeforme, floccis tenerrimis evanidis, sporidiis aggregatis fusiformibus rectis flavovirentibus.

Fusidium aeruginosum. *Link Obs.* 1. *p.* 6. Fusid. flavovirens. *Ditm. apud Sturm. Deutschl. Fl. III. Heft* 2. *t.* 18. *Link Spec.* 2. *p.* 97. *Grev. Crypt. Scot. t.* 102. *f.* 2. Fusisporium *Fries Stirp. Fems. p.* 89. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 916.

Adultum facile dignoscitur maculis omnino superficialibus (hinc ad Entophytos referri nequit) tenuibus, viridi-flavis, immo pallide sulphureis, effusis. In statu juniori adsunt flocci evidentes. Vidimus quoque hujus statum floccis evidentioribus,

sporidiis globosis. *In foliis dejectis aridis Quercus et Fagi in nemoribus umbrosis per annum, optime aestatis fine.* (v. v.)

11. *F. griseum*, maculaeforme, floccis tenerrimis evanidis, sporidiis fusiformibus rectis griseo-albis.

Fusidium griseum. *Link Obs.* 1. *p.* 6. *Spec.* 2. *p.* 96. *Dittm. l. c. f.* 17. *Schmidt et Kunz. exs. n.* 103. *Chev. Par. t.* 3. *f.* 17. Fusisporium. *Fries l. c. Duby l. c.*

Valde affine praecedenti, sed colore constanti differt. *Loco et tempore convenit.* (v. v.)

12. *F. Buxi*, acervulis sparsis, floccis strictis primo cinctis, sporidiis fusiformibus minutissimis pallescentibus.

Statum primordialem sporidiis globosis roseis ovoideisque sistit *Tubercularia Buxi Dec.! Fr.* 6. *p.* 110. Psilonia Buxi. *Fries S. O. Veg.* — *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 926. — Adultum, floccis evanidis, sporidiis fusiformibus omnino pellucidis: Fusidium Buxi. *Schmidt* — *Link Spec.* 2. *p.* 97.

Vix facile fingas plantas sub microscopio adeo diversissimas ac *Psiloniam Buxi* et *Fusidium Buxi* eandem sistere speciem, et sane diu ipse finxi, postquam in eodem folio et acervo Fusidium legeram, hoc esse parasiticum; dein vero vidi plerasque Fusisporii species eandem subire metamorphosin, quarum proximi *F. argillacei* evidentissima, ut omnia dubia sublata videantur. Primo in foliis arescentibus observantur acervuli minuti punctiformes, conferti, rubri, floccis simplicibus erectis cincti, sporidiis ad basin conglobatis globosis, ovoideis oblongisque; dein magis irregulares fiunt, expallentes, in quo statu sporidia monstrant fusiformia tenerrima prorsus pellucida. In utroque statu sporidia celerrime adfusa aqua diffluunt. *Ad folia sicca Buxi per annum.* (v. v.)

Obs. 1. Plenius hujus generis species mihi obvias, quam affinium generum, recepi, cum certiores et insigniores, praecipue duarum priorum sectionum, visae sint. At testibus *Fusisporio Buxi, argillaceo* etc. satis patet, quam parum sufficiant micro-

scopicae singuli status analyses, quod haud nimis repetendum credidi.

Obs. 2. Duae restant FUSISPORII species Link, nempe *F. candidum*, floccis lanaeformibus sporidiisque obtusatis albis et *F. roseum*, floccis lanaeformibus albis, sporidiis acutis roseis, quae ob sporidia non conglutinata species ditissimi *Aleurismatis* videntur. Singularem tamen monstrant analogiam, illa cum *Psil. nivea*, haec cum *Psilonia Arundinis*.

V. EPOCHNIUM. Link.

Link Obs. 1. p. 16. *Nees Syst. p.* 45. *Fries Syst. Orb. Veg.* 1. *p.* 186.

CHAR. Sporidia coacervata, e matrice enata eidemque adnata, oblonga, apiculata, septata. Flocci (mycelium) effusi, intricati, mucedinei; sporidiferi nulli.

Obs. Fusisporio admodum affine genus, attamen notis datis facile distinctum. Est Helminthosporii in hac serie analogon. Innascuntur omnes species corporibus putrescentibus, qua re et floccis mucedineis Fusisporio magis affines quam Psiloniis. Nomen a loco primae speciei in Pyris.

1. *E. Monilioides*, floccis tenerrimis albis, sporidiis nigris.

Monilia fructigena. *Schum. Saell.* 2. *p.* 339. Epochnium Monilioides. *Link! Obs* 1. *p.* 16. *f.* 28. *Spec.* 1. *p.* 32. *Nees Syst. f.* 40. *Chev. Par. t.* 4. *f.* 1. Fusisporium. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 925.

Flocci ramosi, septati, telae araneae instar expansi, albi. Acervi sporidiorum matrici firmiter adnati. Sporidia singula basi constricta in apiculum tenuissimum. *Ad pyros putrescentes autumno.* (v. v.)

2. *E. virescens*, floccis densis albis, sporidiis obscure viridibus.

E. virescens. *Mart. Erlang. p.* 338. *Link Spec.* 1. *p.* 33.

Caespites format quam prioris densiores, minus effusos; ceterum sporidiorum colore diversum.

In fructu Pruni Armeniacae. (v. s. in Pyris lectum, an diversum?)

3. *E. fungorum*, floccis effusis tenerrimis nigris sporidiis concoloribus pellucidis.

Maculas sistit densas, tenerrimas, subdeterminatas atras; sed sub micr. comp. tam flocci, quam sporidia pellucida. Flocci tenues, fugaces. Sporidia insigniora quam praecedentium, *Sporodermium* in memoriam revocantia, densissime aggregata, matrici adnata, clavata, luculenter 3—4 septata. — *Sporidermium atrum* Grev. Crypt. Scot. e specimine misso huc pertineat, sed icon non convenit. *Ad Thelephoras aliosque fungos putrescentes.* (v. v.)

VI. SCOLICOTRICHUM. Kunz.

Myc. Heft 1. *p.* 10. *t.* 1. *f.* 6. *Link Spec.* 1. *p.* 35.

CHAR. Flocci contigui, transparentes. Sporidia oblonga, libera, didyma.

Obs. Genus mihi ignotum; hinc de vero loco dubius sum. Forsitan ad Dematieos potius pertinet, sed flocci admodum cum sequente genere convenire videntur, simulque esse mycelium, sporidia tegentes nec sporidiiferi. A sequente genere sporidiis didymis tantum differre videtur; illudque certe ex hac serie est.

1. SCOLICOTRICHUM *virescens.* l. c.

Tomentum sistit supra epidermidem superficiale, tenue, indeterminatum, e viridi griseum. Fibrae sub micr. satis longae, laxe intricatae, crassiusculae, flexuosae, simplices, sed e duplici membrana quasi factae, pellucidae, apice attenuatae, subuncinatae. Sporidia parva, opaca. *Ad ramos Pruni Padi in Lusatia* Schmidt, *Berolini* Schlecht. Ber. p. 154. (v. ic.)

VII. PSILONIA. Fries.

Syst. Orb. Veg. 1. *p.* 187. *emend.*

CHAR. Flocci contigui, transparentes, persistentes, in caespitulum erumpentem juncti, primo convergentes et obtegentes sporidia simplicia, pellucida, libera, e matrice enata.

Hoc et *Fusisporii* genus olim e sporidiis subglobosis et fusiformibus distinxi, sed in utroque genere dein vidi sporidiorum formam e conidiis per globosam in ovalem et fusiformem abire. Sic *Psilonia Buxi* est status primordialis *Fusisporii Buxi*. E praesente *Psiloniae* limitatione complectitur tantum species caespitoso - erumpentes, floccis contiguis firmis persistentibus primo intortis convergentibusque, sporidiis e matrice enatis, simplicibus, *numquam conglutinatis*. Tam floccis quam sporidiis hoc modo a Fusisporio luculenter differt, licet sporidiorum forma in utroque genere veriet. Huc pertinent Conopleae spec. *Pers.*, Menispora *Pers.*, Circinotrichum *Nees*, sed haec nomina latiori nostrae ideae haud conveniunt, ut ex unica specie sumtae.

1. *P. nivea*, caespitibus compactis laneis candidis, floccis ramosis intorto - intricatis.

Caespites erumpentes, rotundi, 1—2 lin. lati, lineam alti, compacti, licet flocci omnino discreti sint, rotundato - irregulares, confluentes. Flocci crassiusculi, non pellucidi, sed transparentes tantum, ramis patentibus instructi, contigui, intorti et implexi, apice attenuati. Sporidia (potius *Gonidia*) minuta, globosa, tarde diffluentia, sed subinde immixta vidi sporidia cylindrica, curva, ut ad Menisporas pertineret. *E rimis corticis Fagi erumpit hieme.* (v. v.)

2. *P. glauca*, caespitibus effusis laneis griseo-glaucis, floccis ramosis intertextis, sporidiis cylindricis incurvis.

Camptosporium glaucum. *Link in Ehrenb.! silv. Ber. p.* 11. Menispora glauca. *Pers. Myc. d Eur.* 1. *p.* 32. *Link Spec.* 1. *p.* 31.

Tomentum sistit crassiusculum lanaeforme, vel e loco sub cortice vel e pluribus caespitibus confluentibus (nam erumpens priori simile est) late effusum, intorto-intricatum, siccitate nigrescens. Flocci tenues, transparentes, parce ramosi. Sporidia adulta curvata, pellucida, diffluentia. Horum forma ad genus separandum non sufficit, testantibus *Fusisporiis* eodem modo variis. *Sub cortice truncorum Quercus, Betulae* etc., *vel per epidermidis rimas erumpens, per annum.* (v. v.)

3. *P. gilva*, caespitibus subrotundis compactis gilvo-rufescentibus, floccis intorto-intricatis subsimplicibus sporidia varia obtegentibus.

Conoplea gilva. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 12. e spec. Montagnei. *Desmaz. exs. n.* 164. Circinotrichum rufum. *Sommerf. Norv. exs. n.* 179.

Caespites hemisphaerico-pulvinati, juniores epidermide luculenter tecti, mox nudi, distincti, 1–2 lin. lati, compacti, gilvo-rufescentes aut dilute ferruginei. Flocci plerumque omnino simplices, crassiusculi, contigui, medio praecipue transparentes. Sporidia vulgo minima globosa, passim ovalia legi; *Sommerfelt* vero fusiformia in planta absolute identica! *Ad ramos arborum dejectos rara; frequens ad caules plantarum exsiccatos, vere.* (v. v.)

4. *P. Arundinis*, caespitibus oblongis densis pallide roseis, floccis fasciculato-intricatis simplicibus, sporidiis ovoideis oblongatisque.

Psilonia Arundinis. *Desmaz.! Obs. Crypt. et Zool. in Ann. Sc. Nat.* 1830. — *p.* 12. *t.* 5. *f.* 1. *Exs. n.* 460. *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 929.

Caespites evidenter erumpentes, oblongi, lineares, 1—2 lin. longi, pallide rosei. Flocci caespitoso-intricati, haud intorti, simplices, contigui, transparentes. Sporidia minuta, ovoidea, ad basin congesta, qualia optime sistit icon citata; an in fu-

siformia abeant nescimus. *Ad culmos siccos Arundinis Phragmitis hieme.* (v. s.)

5. *P. cylindrica*, sparsa, subcylindrica, ferrugineo-fusca. *Pers. syn. p.* 235. sub Conoplea.

Erumpens, „1—2 lin. lata, 1 lin. crassa, cum pulvere copioso tota obscure fusca.“ Speciem olim vidi, nunc ad manus non est, sed genus vix dubium. *Ad culmos arundinaceos in sterquilineis dejectos, hieme.* (v. v.)

6. *P. maculiformis*, caespitibus tenuibus maculaeformibus, floccis tenellis circinato-intortis sporidiisque fusiformibus rectis olivaceis.

Circinotrichum. *Nees! Syst. Uebers. p.* 19. *Link Spec.* 1. *p.* 35. *Chev. Par. t.* 5. *f.* 2. *Mart. Erl. p.* 349. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 19.

Eximie differt maculis floccosis irregularibus suberumpentibus. Flocci circinato-intricati, subcontigui, sporidia e matrice enata obtegentes; haec fusiformia, pellucida, diffluentia. *Ad folia sicca quercina, tiliacea etc. vere.* (v. v.)

Tot species, jam ex maxima parte cognitas, ad generis ideam figendam recipere volui; longe plures olim addendae. Non justo latiori, sed angustiori sensu me genus determinasse fingo. Ex analogia *Fusisporii* species floccis subseptatis haud excluderet, tum vero ne vagum foret vereor.

VIII. ALEURISMA. Link.

Link Obs. II. p. 38. *Nees Syst. p.* 52. Sporotrichi spec. *Link Spec.* 1.

CHAR. Flocci tenelli, septati, pellucidi, fugaces, primo convergentes et obtegentes sporidia simplicia pellucida e matrici enata. *Flocci sporidiiferi nulli.*

Obs. Aleurismatis genus, ex habitu plurimarum specierum *farinaceo* dictum, restituo et a *Sporotrichis* Link separo, cum luculenter ex hac serie

sit, inter praecedentia et sequentia prorsus intermedium. Specierum etiam autonomarum ditissimum est, sed cautissime a myceliis sunt separandae. Hinc e magna copia unicam tantum insero. Hujus vero loci sunt multae species *Sporotrichi* Link Spec. 2, quod conferas.

1. *A. crubescens,* caespitulis suberumpentibus, floccis raris evanidis, sporidiis globosis ex albo rubentibus. *Nees Syst. p.* 52. *f.* 48.

Planta nostra saltim hujus gregis est, tuberculi minuti vegetabilibus putridis primo innati habitu. *Ad caules plantarum, v. c. Rhei etc.* (v. v.)

Cum hoc a Linkio in *Spec.* 1. *p.* 6. junguntur *Aleurisma sporulosum, inspersum, Bulbosorum, roseum,* Link Obs. II. p. 38. s. *Sporotrichum sporulosum* et *rhodochroum* Link in Jahrb. d. Gewächsk.

IX. DENDRINA. Fries.

Syst. Orb. Veg. 1. *p.* 186.

CHAR. Flocci effusi, tenuissimi, a sporidiis discreti, in maculam matrici adglutinatam contexti. Sporidia matrici innata, simplicia, globosa, pellucida.

Obs. Incipit fibrillis dendriticis mucedineis in caulibus herbarum. Infra has in contextu celluloso plantarum sporidia nascuntur. Est hac ratione quasi *Sepedonium* admodum macrum. Species plures, hactenus neglectae; duas ut typos proponam. In hac serie juxta *Epochnium et Psiloniam* medium facile tuetur locum. In nostris flocci primitus saltim evidentes; horum defectu dignoscitur *Chromosporium roseum* Corda, quod vel hujus est generis, floccis ut in ultimis Fusisporii speciebus evanidis, vel genus Coniomycetum maxime analogum sistit.

1. *D. pulla*, maculis effusis griseo-nigris, sporidiis majusculis nigris olivaceo-pellucidis.

Tam externe in caulibus herbarum, quam praecipue in medulla putrescentium observantur nudo oculo maculae tenues, late expansae, griseo-nigrae, quae sub micr. comp. formatae videntur e floccis tenellis ramosis intertextis septatis pellucidis. Sporidia infra hos in parenchymate nidulantur majuscula, globosa nigra, sed olivaceo-pellucida. Externe caulibus adnascens epidermidem solvit et sporidia gerit in maculam atram coacervata. *In caulibus emortuis; frequens in Heracleo Sphondylio, autumno.* (v. v.)

2. *D. flava*, maculis determinatis flavis, sporidiis minimis pallidis hyalino-pellucidis.

Maculae rotundae, 2—5 lin. latae, ob colorem laete flavum et floccos evidentiores magis quam prioris in oculos incurrentes. Sporidia minima, nudo oculo haud discernenda, sub micr. prorsus pellucida, decoloria. *Cum priori, autumno.* (v. v.)

Obs. ARTHRINIUM ex habitu hujus loci esset, sed sporidia e floccis enata vidi; adsunt igitur flocci sporidiiferi veri.

X. SPORISORIUM. Ehrenb.

Link Spec. 2. p. 86.

CHAR. Sporidia sub epidermide plantarum vivarum coacervata, erumpentia, simplicia, floccis paucis intertextis.

Obs. Ultimus tandem radius Hyphomycetum versus *Coniomycetes* et quasi *Ustilago* floccis aucta. Sporidia enim Uredinum more in soris coacervata, unde nomen. Affine et simile *Tuburciniae*, sed hujus sporae distincta continent sporidia.

1. SPORISORIUM *Sorghi.* l. c.

Substantia farinosa germinum *Sorghi vulgaris* primum rimis variis separatur, ita ut semina hiant. Tum sporidia oriuntur, usque dum tota compages germinis in sporidia delapsa sit. Excrescunt quoque glumae in apicibus ramulorum paniculae sporidia et partes floris mutilas continentes. Sub micr. composito acervi compacti conspiciuntur, aqua adfusa non diffluentes, e quibus flocci simplices aut semel ramosi exeunt tenues septati, pauci tantum in singulo acervo. Sporidia compressis acervis in conspectum prodeunt globosa, sat magna, minora majoribus intermixta. *Link. Intra germina Sorghi in Aegypto.* (v. s. in herb. Ehrenb.)

CLASSIS QUARTA.

CONIOMYCETES.

CHAR. Sporidia nuda (absque hymenio, perithecio, peridio, ascis et floccis sporidiiferis), sub epidermide plantarum vel intra matricem nata.

DESCRIPTIO. Formationes variae, ex aliis plantis enatae, saepe ab earum organis (Entophyti pl. viv.) vel aliis Fungis deliquescentibus anamorphosi ortae. Systema vegetativum aut nullum proprium (matrix tum ejus vicibus fungitur), aut matrici innatum, quo ab *Hyphomycetibus* recedunt, in stroma (spurium vulgo) abiens. Unica morphosis est sporidiorum formatio. Haec *intra matricem oriuntur*, sed dein semper plus minus erumpunt aut denudantur, immo liberantur.

AFFINITAS. Qualem hanc classem ante plura lustra cum inclytissimis Mycologis, at paullo aliter limitatam, proposui, ad nexum cum praecedentibus servandum etiam hoc loco recipere debui, licet jam mihi persuasum sit, eam aeque bene, vel

ad alias rationes etiam melius, ita dissolvi ut membra reliquis classibus, quarum *status* sistit *elementares*, subjungantur. Nec sane inepte *ut tales* seorsim conjunctimque tractantur, cum diversae series in his omnino confluant et systematice vario modo sint excipiendae. Conferatur Variatio Systematis. — *Tremellini* ad Tubercularinos prope accedunt, at vegetatio perfectior, liberata, sporidia intra massam gelatinosam, *membrana* tectam. Sunt aliae quaedam his subjunctae formationes ex anamorphosi *Stictearum* et *Phacidiaceorum* facile ortae, ab eis saltem aegre discernendae. Eadem ratione *Stilbosporei* ad Pyrenomycetes accedunt, ut perithecii modo cellularumve defectu dignoscantur; sed peritheciis cellulisque e matrice nigrescente saepenumero formatis limites prorsus oblitterantur. Multos *Stilbosporeos*, ut infimos *Tuberculariuos*, Spilomatibus etc. exacte analogos, certum est haud esse vegetabilia autonoma; hinc obiter modo eos tractavi, relata tantum referens, donec theoretice eorum naturam plene proponere licuerit. *Sporodesmiei* Hyphomycetibus (praecipue *Dematieis*) peraffines sunt, at nulli adsunt flocci vel fibrae, mera modo sporidia concatenata. *Sclerotiacei* huic classi contermini sunt, sed sporidiorum alia morphosis, *Hypodermii* denique, centrum Coniomycetum constituentes, re ipsa mera videntur exanthemata ideoque potius in Nosologia plantarum quam in Systemate tractandi, sed tam ob usum consuetum, quam praecipue ob intimum cum veris Fungis nexum seriemque contiguam prorsus eos excludere non licuit. His vero spuriis Fungis nulla esse videtur vera propagatio per sporidia; mea saltim omnia experimenta, circa perfectiores optimo successu instituta, in his semper frustrata sunt *). *Phylleriaceae* his proxime connexae ne spo-

*) Attentione vero dignum, utrum planta matrice emortua pereant, an Pyrenomycetum epiphyllorum more tum demum perfectiores explicentur.

ridiis quidem gaudent. Facile est empirice sequi originem *Phyllerii*, *Erinei*, *Uredinis*, *Acidii* etc. e pilis et cellulis plantarum. Hanc rem jam 1819 in peculiari commentario exposui; sed theoriam dein propositam ejusmodi originem omnibus Fungis tribuentem, eorumque proventum *naturae poësi*, *miasmate aëris* similibusque qualitatibus occultis explicantem, certis et indubiis experimentis nisus, non potui non refellere. *Linnaea* 1830. Nam ex Hypodermiis ad reliquorum Fungorum vegetationem et propagationem concludere aeque est erroneum, ac si quis ex his vel analogis Diatomeis omnium plantarum vegetationem explicare et propagationem deducere vellet. Probe tenendum *Fungorum seriem ab his neutiquam adscendere*, sed ad hanc appendicem, jam defectu systematis vegetativi proprii formationes inferioris ordinis sistentem, descendere.

HISTORIA. Coniomycetes Veteres Botanici vel pro exanthematibus (v. c. Malpighi) sumserunt, vel parum curaverunt; recentiori saeculo eorum studium florere coepit, in detrimentum, si quod sentiam aperte dicam, cognitionis nobiliorum Fungorum. Inter Hypodermios, maximam partem efficientes, typos nosse sufficiat, nisi singulorum mutationibus in singulis plantis observandis vitam velimus dicare. Omne eorum studium non mere physiologicum frustraneum mihi visum est. Hoc vero meum sit privum judicium. Sed etiam reliquorum studium in maxime singularibus ob facilitatem novas sensu recepto species et genera addendi, quorum quo plura fuerunt examinata, eo magis obscurati sunt limites (v. c. *Tuberculariarum*), me minus delectavit quam perfectiores Fungi, inter quos *sua cuique speciei historia*. Praecipuum videtur vere autonomos et per anamorphoses perfectiorum ortos discernere. Hinc in praesenti saltim, cum hoc volumine Systema Mycologicum sit absolvendum, *Coniomycetes* synoptice tantum tractem, Monographis, non in novarum modo specierum et generum copia

ad alias rationes etiam melius, ita dissolvi ut membra reliquis classibus, quarum *status* sistit *elementares*, subjungantur. Nec sane inepte *ut tales* seorsim conjunctimque tractantur, cum diversae series in his omnino confluant et systematice vario modo sint excipiendae. Conferatur Variatio Systematis. — *Tremellini* ad Tubercularinos prope accedunt, at vegetatio perfectior, liberata, sporidia intra massam gelatinosam, *membrana* tectam. Sunt aliae quaedam his subjunctae formationes ex anamorphosi *Sticteorum* et *Phacidiaceorum* facile ortae, ab eis saltem aegre discernendae. Eadem ratione *Stilbosporei* ad Pyrenomycetes accedunt, ut perithecii modo cellulaeve defectu dignoscantur; sed perithecii cellulisque e matrice nigrescente saepenumero formatis limites prorsus oblitterantur. Multos *Stilbosporeos*, ut infimos *Tubercularinos*, Spilomatibus etc. exacte analogos, certum est haud esse vegetabilia autonoma; hinc obiter modo eos tractavi, relata tantum referens, donec theoretice eorum naturam plene proponere licuerit. *Sporodesmiei* Hyphomycetibus (praecipue *Dematieis*) peraffines sunt, at nulli adsunt flocci vel fibrae, mera modo sporidia concatenata. *Sclerotiacei* huic classi contermini sunt, sed sporidiorum alia morphosis, *Hypodermii* denique, centrum Coniomycetum constituentes, re ipsa mera videntur exanthemata ideoque potius in Nosologia plantarum quam in Systemate tractandi, sed tam ob usum consuetum, quam praecipue ob intimum cum veris Fungis nexum seriemque contiguam prorsus eos excludere non licuit. His vero spuriis Fungis nulla esse videtur vera propagatio per sporidia; mea saltim omnia experimenta, circa perfectiores optimo successu instituta, in his semper frustrata sunt *). *Phylleriaceae* his proxime connexae ne spo-

*) Attentione vero dignum, utrum planta matrice emortua pereant, an Pyrenomycetum epiphyllorum more tum demum perfectiores explicentur.

ridiis quidem gaudent. Facile est empirice sequi originem *Phyllerii*, *Erinei*, *Uredinis*, *Acidii* etc. e pilis et cellulis plantarum. Hanc rem jam 1819 in peculiari commentario exposui; sed theoriam dein propositam ejusmodi originem omnibus Fungis tribuentem, eorumque proventum *naturae poësi*, *miasmate aëris* similibusque qualitatibus occultis explicantem, certis et indubiis experimentis nisus, non potui non refellere. *Linnaea* 1830. Nam ex Hypodermiis ad reliquorum Fungorum vegetationem et propagationem concludere aeque est erroneum, ac si quis ex his vel analogis Diatomeis omnium plantarum vegetationem explicare et propagationem deducere vellet. Probe tenendum *Fungorum seriem ab his neutiquam adscendere*, sed ad hanc appendicem, jam defectu systematis vegetativi proprii formationes inferioris ordinis sistentem, descendere.

HISTORIA. Coniomycetes Veteres Botanici vel pro exanthematibus (v. c. Malpighi) sumserunt, vel parum curaverunt; recentiori saeculo eorum studium florere coepit, in detrimentum, si quod sentiam aperte dicam, cognitionis nobiliorum Fungorum. Inter Hypodermios, maximam partem efficientes, typos nosse sufficiat, nisi singulorum mutationibus in singulis plantis observandis vitam velimus dicare. Omne eorum studium non mere physiologicum frustraneum mihi visum est. Hoc vero meum sit privum judicium. Sed etiam reliquorum studium in maxime singularibus ob facilitatem novas sensu recepto species et genera addendi, quorum quo plura fuerunt examinata, eo magis obscurati sunt limites (v. c. *Tuberculariarum*), me minus delectavit quam perfectiores Fungi, inter quos *sua cuique speciei historia*. Praecipuum videtur vere autonomos et per anamorphoses perfectiorum ortos discernere. Hinc in praesenti saltim, cum hoc volumine Systema Mycologicum sit absolvendum, *Coniomycetes* synoptice tantum tractem, Monographis, non in novarum modo specierum et generum copia

progressum scientiae quaerentibus, singula genera commendans *).

USUS et NOXA vere fungosis nulla; ad arbores tantummodo et herbas langnescentes destruendas et dissolvendas conferunt. Per *Exanthematicos* vero plantae tabescunt, sterilescunt, imo prorsus necantur. Potius tamen ipsi e statu plantae morboso pendent, quam hi ex eis. Multis exemplis docti novimus eos esse hereditarios, sed etiam e constitutione aëris pendere. Omnis metus de propagatione eorum per sporidia superfluus est. Praeter noxam, quam messe minuenda afferunt, frugem etiam male inquinant et pabulum pecoribus noxium reddunt. De his cfr. *libros oeconomicos* et tractatum nostrum: *Om Rost och Brand på Vexter. Lund.* 1819.

SYNOPSIS generum et ordinum, qui tam intime cohaerere videntur, ut conjunctim tractandi sint.

Ordo I. TUBERCULARINI. Sporidia in discum denudatum conglutinata. *Stroma proprium. Incolunt plantas mortuas.*

1. TUBERCULARIA. Sporidia simplicia (globosa) supra receptaculum erumpens in stratum discretum compacta. *Coloratae.*
2. VELUTELLA. Sporidia septata (subfusiformia) supra receptaculum erumpens determinatum in stratum discoideum compacta. *Coloratae.*

---

*) Ad omnem dissensum tollendum addere necesse sit, dignissimorum Auctorum studia Hypodermiorum species extricandi et describendi me quanti fas aestimare, sed per plures et objectivas et subjectivas rationes omnes descriptas et plurimas novas formas in systemate nostro contracto recipere non licuisse. Praecipuam Hypodermiorum litteraturam congessit Ill. *Link* in Spec. Plant., cum quibus conferendae *De Candolle* Fl. Franc, *Duby* Syn. Fl. Gall., variique eximii tractatus in Linnaea 1826 et seq. anu. auctoribus v. *Schlechtendal* et *Rudolphi*.

3. **FUSARIUM.** Sporidia simplicia, demum fusiformia, in discum indeterminatum innatum erumpentem conglutinata, diffluentia. *Colorata.*
4. **BLENNORIA.** Sporidia simplicia, cylindrica, concatenato-truncata, in discum innatum erumpentem conglutinata. *Atrae.*
5. **CORYNEUM.** Sporidia septata, fusiformia, pedicellata, erecta, in discum parallele constipata. *Atra.*
6. **DICOCCUM.** Sporidia didyma, absque pedicello, in discum nudum conglutinata. *Atra.*
7. **SCHIZODERMA.** Sporidia simplicia, globosa, in discum erumpentem conglutinata.

Ordo II. STILBOSPOREI. Sporidia sub epidermide plantarum in nucleum conglobata, dein (liberata) erumpentia. *Incolunt plantas mortuas.*

8. **NAEMOSPORA.** Sporidia simplicia in nucleum subcellulosum (pallidum sub epidermide conglutinata, demum cirrhose erumpentia. *Coloratae.*
9. **SEPTORIA.** Sporidia septata fusiformia in nucleum simplicem (pallidum) sub epidermide conglutinata, demum cirrhose erumpentia. *Coloratae.*
10. **FUSIDIUM.** Sporidia simplicia, demum fusiformia, in nucleum sub epidermide compacta, demum fatiscendo libera. *Colorata.*
11. **CRYPTOSPORIUM.** Sporidia simplicia fusiformia, sub epidermide in nucleum primitus conglutinata. *Atra.*
12. **STILBOSPORA.** Sporidia septata (majuscula), oblonga ovataque, sub epidermide in nucleum conglutinata. *Atra.*
13. **DIDYMOSPORIUM.** Sporidia didyma s. medio septata, sub epidermide primo in nucleum conglutinata. *Atra.*

14. MELANCONIUM. Sporidia simplicia globosa (minima), sub epidermide primo in nucleum conglutinata. *Atra.*

Ordo III. SPORODERMIEI. Sporidia in floccos demum liberos et dilabentes concatenata. *Incolunt plantas tam mortuas quam vivas.*

15. CONOPLEA. Sporidia simplicia, in floccos moniliformes in tuberculum extus conidiis adspersum primo compactos, dein liberos et dilabentes concatenata.

16. PHRAGMOTRICHUM. Sporidia intus cellulosa, in floccos moniliformes gelatina in tuberculum extus nudum primo conglutinatos, dein liberos et dilabentes concatenata.

17. SPORIDESMIUM. Sporidia simplicia in unicum sporidium fusiforme (septatum) concatenata, demum dilabentia.

18. AREGMA. Sporidia sporidio interno farcta, in unicum stipitatum moniliforme concatenata, demum dilabentia.

19. XENODOCHUS. Sporidia intus sporidiolis farcta, in floccum moniliformem concatenata, demum dilabentia.

20. TORULA. Sporidia intus plerumque materia grumosa farcta, in floccos moniliformes concatenata, facile dilabentia.

21. SPILOCAEA. Sporidia simplicia, globosa, inter se et in maculas matrici innatas connata. *Sequenti ordini peraffines.*

Ordo IV. HYPODERMII s. ENTOPHYTI. Generatione semper originaria e tela cellulosa plantarum vivarum morbosa sub epidermide oriuntur formationes sporidia antecedentium imitantes.

22. GYMNOSPORANGIUM. Sporidia uniseptata, pedicellata, stromati a matrice formato erumpenti adnata gelatinaque in sporangium nudum expanso-difforme conglutinata.

23. **PODISOMA.** Sporidia uniseptata, pedicellata, pedicellis in stipitem junctis, gelatina in sporangium nudum erumpens verticale clavaeforme conglutinata.

24. **PUCCINIA.** Sporidia subseptata, pedicello adnata, demum concrescentia.

25. **EPITEA.** Sporidia simplicia, libera, supra stroma a matrice formatum liberum coacervata.

26. **AECIDIUM.** Sporidia simplicia (raro bina concatenata), libera, intra pseudoperidium ab epidermide matris formatum, apice regulariter dehiscens, coacervata.

27. **UREDO.** Sporidia simplicia (raro bina connata), primo sub epidermide plantarum distenta cohaerentia, eaque lacera effusa (sporidiolis minimis).

28. **USTILAGO.** Sporidia simplicissima, absque sporidiolis, laxissima, libera, foede inquinantia.

CRITICA. Qui genera norunt vel comparare voluerint, singulum oppositis ceterorum ordinum respondere videbunt, ut facile analogiam pro affinitate sumeres. Attamen re ipsa haec classis plantas diversarum serierum in infimis elementis aegre discernendas complectitur. Ut *Hypodermii* e cellulosa plantarum perfectiorum oriuntur, multae species reliquorum ex aliis perfectioribus fungis originem ducunt. Tantummodo quae praecipue autonomae visae sunt vel alia ratione insigniores, hoc loco receptae. Multas earum aliorsum pertinere bene novi, sed in praesenti exponere non licuit. Potuissem facili negotio lectores novarum specierum generumque copia terrere, sed utrorumque jam satis habemus, donec plena exposita fuerit harum plantarum vegetationis historia. Et ut ingenue dicam, species plurimae tam ignobiles mihi visae sunt, ut maluerim vitam et evolutionem diversorum typorum s. generum (quae haud altioris sunt di-

gnitatis quam species inter perfectiores fungos) sequi, quam speciebus amphibolis determinandis dubia augere. Nec inter Pyrenomycetes omnia infima distinguenda, quae sub typo superiori comprehendi possunt.

De affinitate ordinum sub singulis dissernimus. Hoc loco tantum observandum, *me non ad dispositionem (raro sane ad genera *)) stroma respicere potuisse.* Origo in plantis vivis et mortuis diversa differentiam offert in genere valde insignem, cui tamen non coece fidendum, v. e. in *Aregmate*, *Torula*. *Tubercularia persicina* potius *Epitea* est **). Ceterum differentiae physiologicae et aliae nudo oculo facile observandae majoris mihi sunt ponderis quam quae nonnisi sub microscopio tercenties augente conspiciuntur.

Chromospora viride *Corda* ***) *apud Sturm III. 10. t. 57.*, ex icone saltim, a gonidiis Lichenum distinguere non possum; altera species, *Chr. roseum* l. c. t. 56 *Dendrinae* nostrae prodromus videtur — in vegetabilium censu tamen vix reciperem. *Phylleriaceas* similesque a Fungis omnino excludendas certum est. Appendicis loco eas subjunxi.

ORDO I.

TUBERCULARINI.

CHAR. Sporidia (supra stroma proprium vulgo) in discum denudatum conglutinata.

---

*) *Tubercularia* modo, *Volutella* paucaque alia summa genera stromate observando gaudent.

**) Obs. Nec Pyrenomycetes huic legi repugnant; nam quae ut *Rhytismata*, *Dothideae* etc. in foliis vivis occurrunt, in emortuis demum fructificant, vel si in folio vivo fructificant, ut *Depazeae*, *Phacidium Vaccinii*, maculae emortuae et exaridae insident.

***) Nulla specimina ab Auctore habeo multorum ejus generum.

Obs. 1. Charactere dato facile dignoscitur, sed ut sequentes tribus eximie naturales, ita haec magis artificialis. *Tuberculariae* et *Volutellae* altiores evolutionis gradus videntur. — Complectitur hic ordo Coniomycetes ad Hymenomycetes abeuntes, non vero ad *Pileatos* (Thelephorae tamen variae huc valde accedunt), sed potissimum ad *Disciferos* (Cupulatos et Phacidiaceos) ut quando singulas series ad infimos radios persequi volumus, *Coryneum* v. c. Tubercularinis subjungere debeamus. Inter Coryneum et Stictidem plures habemus formationes intermedias et insignes. *Tuberculariae* vero et praecipue *Fusarium* ad Tremellinas abeunt. Sed de his in Systematis revisione.

Obs. 2. Omnes facile horum generum species descriptae mihi cognitae sunt, sed novarum formarum copia limites diversarum, longum in libera natura studium requirentes, in praesenti minime sunt clari. Perpaucarum novi characteres acutos. Malui igitur paucas formas indicare lectoresque ad *Linkii Spec. Plant.* ablegare, ceterumque Monographis commendare. Puto equidem scientiae me ita melius consulere quam si magnam dubiarum copiam describerem.

I. TUBERCULARIA. Tod. emend.

Tuberculariae Spec. *Tod.* — *Pers.* Tubercularia *Link.* — *Nees Syst. p.* 35.

CHAR. Sporidia simplicia (subglobosa) pellucida, supra receptaculum innatum verrucaeforme

---

sed praeter insignem *Ciliocarpum* et ambiguum *Dicoccum* omnia mihi nota sunt. De his conferas *indicem universalem*. Pigebit olim, ni fallor, oculatissimum virum, quod mihi etiam et plerisque Mycologis accidit, tot genera distinxisse.

in stratum densum compacta, demum diffluentia subpulveracea. *Color rubescens in nigrum transiens.*

Obs. Inter omnia hujus sectionis genera nullum tam formarum dives ac ubique obvium quam hoc. At characteres specierum nulli adsunt acuti; sporidiorum forma omnes simillimae. Plurimas notas vidi cum statione connexas. Quo succosiore loco nascuntur (v. c. in ramis recenter emortuis), eo laetior color, eo citius deliquescunt; locis siccioribus magis indurantur, haud diffluunt, et tum sporidiorum stratum persistens nigrescit, ut in *T. nigrescente* Schwein.! quae omnino hujus est generis, prorsus laevigatum, Sclerotioideum. *Tuberculario minor* Lk. variat sessilis, stipitata, receptaculo albo, rubro, fuscescente — et multae formae stipite floccoso et glabro simillimae saltim. — Huc accedunt dubia de autonoma earum natura. Species strato sporidiorum rubro simillimae sunt stromati specierum singulis respondentium Sphaeriarum caespitosarum. Sic v. c. Tubercularia vulgaris in societate *Sph. cinnabarinae*, T. lutescens cum *Sph. ochracea*, T. minor cum *Sph. coccinea* etc. semper fere occurrunt. Inter species strato sporidiorum nigricante simillima vidi specimina evidentissimam sistentia Dothideam, v. c. *D. decolorantem* El. Fung., ubi de hac materia plura disserui.

* *strato sporidiorum haud nigricante.*

1. *T. vulgaris*, erumpens, strato sporidiorum rubro, margine nudo.

Dill. Musc. t. 18. *f.* 6. Tremella purpurea. *Linn. et Auct.* Sphaeria tremelloides. *Weig. Obs. Bot. t.* 3. *f.* 1. *Sowerb. t.* 294. Sphaeria miniata. *Bolt. t.* 127. *f.* 1. Tuberc. vulgaris. *Tode — Pers. — Link Spec.* 2. *p.* 99. *Moug. et Nestl. n.* 84. *et Recent.* Tuberc. Artemisiae *Schum.*

Mire variat, ut plures vix addere possim characteres, nec tamen omnia in differentiam datam quadrantia huc referam. — In ramis exsiccatis stipitem habet crassum evidentem fuscescentem, alibi album floccosum, interdum prorsus immersum. In

cortice Betulae corrugatam vidi, quasi compositam; ad truncos recens emortuos Stilbosporae l. Naemasporae more profluentem admodum laete coloratam e. s. p. *Ad ramos vulgatissima, etiam in caulibus duris.* (v. v.)

Occurrunt formae simillimae colore modo lutescente, testaceo, expallente e. s. p. diversae.

2. *T. ciliata*, erumpens, strato sporidiorum rubro, margine ciliato. *Dittm. apud Sturm. III.* 1. *t.* 14.

Receptaculum vulgo stipitatum, pezizoideum, sed discus convexus. *Praecedente multo rarior.* (v. v.)

3. *T. herbarum*, innato-sessilis, strato sporidiorum pallido expallente laevigato. *Fries Obs.* 1. *p.* 104.

Omnino diversa, minuta, pallida, habitu ceterum T. persicinae, at non erumpens. Vera Tuberculariа. *Ad caules plantarum raro.* (v. v.)

Obs. Tubercularia sarmentorum *Fries Obs.* 1. *p.* 208. *Exs. n.* 259. vera est Tubercularia, minori Link affinis.

De speciebus reliquis conferas Link l. c.; accedit pulchra T. floccipes. *Cord. l. c. 7. t.* 24.

** *strato sporidiorum nigricante, indurato.*

4. *T. granulata*, strato sporidiorum rugoso sordide rubro, demum fusco, margine nudo.

T. granulata. *Pers. Syn. p.* 113. *et Auct. Grev. Crypt. Scot. t.* 187. *Fries Exs.*

Sordida semper est demumque nigrescens, vulgo granuliformis compacta; subinde vero extimum induratum stratum corticis instar solvitur, et interius deliquescit pulveraceum. Hic status est *T. Liceoides.* Fries Obs. 1. p. 208. *Ad ramos deciduos frequens.* (v. v.)

5. *T. nigricans*, strato sporidiorum laevi rubro, demum nigro, margine nudo.

Tremella nigricans. *Bull. Champ. t.* 455. *f.* 1. Tubercularia *Link Spec.* 2. *p.* 102.

Ceterum vulgari haud absimilis. Variat ut ea immersa et emersa. (*T. nigrescens* Schwein. diversa est disco jam primitus nigro, nitente, haud diffluente, receptaculo albido.) *Ad truncos et ramos.* (v. v.)

6. *T.? persicina*, subinnata, alba, strato sporidiorum laevi convexo lilacino. *Dittm. apud Sturm. III.* 4. *t.* 49.

Minor. Insignis loco juxta et intra pseudoperidia Acidii *in foliis Circaeae.* An potius Epitea? (v. v.)

Obs. 1. Tuberculariis affine genus sistit *Aegerita* (vide supra p. 219), sed hujus vegetatio omnino superficialis libera, quare stratum sporidiorum (ceterum haud Tuberculariae instar discretum) haud denudatum sed primitus membrana tenuissima mox disparente tectum. Ceterum externa facie haec genera mox discrepant. Magis recedit *Agyrium*, cui nullum sporidiorum stratum. — De variis specc. *Tuberculariis* male adscriptis vide *indic. univ.*

Obs. 2. Tuberculariae quoque affine habetur *Epicoccum* Link Obs. 2. p. 32. Nees Syst. p. 32. cum icon. Link Spec. 2. p. 107, 108. Hoc vero genus, quatenus mihi innotuit, est status imperfectus *Pyrenomycetum*, cum *Trichostromate* Cord. prope connexus; sporidia extus adspersa sunt conidia.

II. VOLUTELLA. Tod.

Tod. Meckl. 1. *p.* 28. Fusarii et Atractii spec. *Link.*

CHAR. Receptaculum erumpens (liberatum), suberosum, determinatum, marginatum (cupulare). Sporidia fusiformia, septata, coacervata, in discum compacta. *Color laetus.*

Obs. Reperta tandem *Volutella volvata* Tod. etiam hoc genus dubium (Cfr. S. M. II. p. 173.) restituere nobis contigit. *Tuberculariis* prope affine, forma vero elegantiori et sporidiis septatis diversum. Quod ad horum formam attinet, eam haud absolute constantem esse monere necesse est; vidimus Tubercularias sporidiis oblongatis et in plerisque generibus sporidiis fusiformibus a conidiis globosis incipiunt, id quod in genere sequente, *Myrothecio* etc. evidentius fit. A *Fusariis* omni respectu differt, omnino ut *Ditiola* a *Dacrymycete*. Volutellis est receptaculum *verum* discretum determinatum marginatum subcupulare, unde habitus Pezizae; nullum vero Fusariis, tantum quibusdam speciebus (minime omnibus!) stroma quoddam innatum, vage expansum, indeterminatum, e residuo conidiorum factum, quod in characterem genericum ingredi non debet. Species mihi innotuerunt plures, sed pro more paucos tantum typos notissimos notabo.

1. *V. volvata*, stipitata, ex albido fulva, disco undique pilis intertexto. *Tod. l. c. t.* 5. *f.* 43.

Ceteris magis evoluta, liberata, receptaculo plano - copulari orbiculari (pezizoideo), deorsum in stipitem intra matricem plus minus delitescentem producto. Sporidiorum stratum discum Pezizae refert, sed primo undique pilis tectum (velum Tod.), dein nudum tandemque sporidiis secedentibus disparens. Totus fungillus lineam vix superat. *Ad ramulos exsiccatos dejectos autumno.* (v. v.)

2. *V. ciliata*, substipitata, ex albido rosea, in ambitu pilis erectis ciliata.

Tubercul. ciliata. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 68. *t.* 5. *f.* 6. *Dec. Fr.* 6. *p.* 110. ex spec. Chaill.! Atractium. *Link Obs. II. p.* 32. Fusarium. *Spec. 2. p.* 105.

Praecedenti perquam affinis, sed discus magis capitatus, circa marginem pilis densis erectis aut

demum patulis cinctus, et color alius. *Ad ramulos et stipites dejectos, aestate, autumno.* (v. v.)

3. *V. pallens*, sessilis, depressa, albicans, in ambitu nuda.

Fusidium obtusatum et pulvinatum. *Link Diss.* 2. *p.* 31, 32. Fusarium candidum. *Ehrenb. silv. p.* 24. F. pallens. *Nees Nov. Act. Ac. Nat. Cur. IX. p.* 237. *t.* 5. *f.* 7. — omnia ex *Link Spec.* 2. *p.* 104. (nullius vidi specc. autographa.)

Tubercula sistit forma et magnitudine varia, per epidermidem erumpentia, colore albido in fuscescentem vel rufescentem simul vergente, sed substantia semper sicca indurata, receptaculum genuinum subcupulare determinatum, cortici interiori umbone (stipitis rudimento) innatum. Sporidia generis septata, sed forma varia. *Ad ramos dejectos, v. c. acerinos, autumno.* (v. v.)

4. *V. carnea*, sessilis, innato-erumpens, disco carneo excipuli marginem nudum demum obtegente.

Stictidem refert, sed sporidia tenuissima fusiformia. Discus demum convexus tuberculatus. Praecedente multoties minor. *Ad ramulos siccos.* Montagne. (v. s.)

Obs. 1. Cavendum ne cum his commutentur *Stictides* disco soluto et deliquescente. Ex habitu his accedit *Melanostroma Fusarioides* Corda apud Sturm. l. c. t. 61, sed primo obtutu iconis fingeres hoc genus esse *Blennoriam* nostram. Est vero *Melanostroma Fusarioides* ipsissima nostra *Stictis pupula* S. M. 11. et El. Fung. 2. p. 25. cum synn. plurr. s. *Stictis mollis* Pers.; stroma Auctoris nobis est discus et sporidia alba excipuli limbus. Jam in Elencho l. c. limbum haud bene explicatae *Stict. coccineae*, Fusidium referre monui. Ceterum longius deduceret hoc loco enarrare omnes mutationes disci in *Stictibus*, quae cum Phacidiacearum conveniunt, nam cum et sine ascis, deliquescentes, fatiscentes etc. observantur.

Obs. 2. Inter *Volutellam* et *Fusarium* quodammodo medium genus est *Periola* S. M. 11, (*Chaetostroma* Corda l. c.; *Ch. isabellina* l. c. t. 61. exacte eadem ac *Periola hirsuta* S. M. s. *Sclerot. hirsutum* Schum., jam in Fl. Dan. t. 1320 pictum) sed ex nostra sententia omnino est *Sclerotiaceum*, ob stroma prorsus Sclerotii et sporidia instrato-innata, Sclerotiorum more ex ambitu diffluentia, nec in discum receptaculo pezizoideo (Volutellae) coacervata nec in stratum *Fusariorum* conglutinata. Ceterum ob vegetationem liberam sporidia intra matricem haud aeque ac *Aegerita* e praesente limitatione ad Coniomycetes referri nequit. — *Chaetocypha* Cord. l. c. t. 63. est Soleniae species, a Cel. *Weinmann* ex horto Pawlowskiensi missa, sed mihi tam ignobilis visa, ut describere noluerim.

III. FUSARIUM. Link reform.

Fusarii et Fusidii spec. *Link.* Fusarium *Schlecht. Ber.* 1. *p.* 101.

CHAR. Sporidia simplicia, demum fusiformia, acuminata, subcurvata in stratum discoideum innato-erumpens immarginatum conglutinata. *Color laetus.*

Obs. Receptaculum discretum nullum, tantum in quibusdam stroma e conidiis demersis factum, ut etiam in *Fusisporio*, sed in neutro ejus praesentia l. defectus genera separat. Ceterum probe tenendum in hoc, ut reliquis generibus sporidiis fusiformibus, haec primo a conidiis globosis orta esse, indeque a forma globosa *) per multas modificatio-

*) Hinc in statu primario diversa genera sistere videntur v. c. *Tuberculariae Buxi* Decand. et *Fusidium Buxi*. Cfr. Fusisporia. *Fusisporia* ciliata seu pilis simplicibus strictis cincta a Fusariis non magis recedunt quam *Tubercul. ciliata*, *Fo-*

nes in fusiformem abire. Differentia a *Fusisporio* ad praesentem limitationem e vegetatione innata et mycelii liberi defectu pendet, sed mycelium re ipsa genera haud separat et facile evanescit, tamen infima Fusisporia *situ omnino superficiali* dignoscuntur. — Tam ob generum limites incertos, quam praecipue ob formarum infinitam copiam, e quibus quid species, quid varietas haud certus dixerim, obiter tantum citem formas descriptas primarias. *Dacrymyces* membrana floccos et sporidia tegente recedit.

1. *F. lateritium*, hemisphaerico - difforme, molle, lutescente - rubrum, stromate crassiusculo, sporidiis curvulis.

F. laterit. *Nees! Syst. p.* 31 *f.* 26. *Link Spec.* 2. *p.* 106. (sporidiis crassiusculis.)

b. F. microsporum. *Schlecht. Ber.* 2. *p.* 139. (Sporidiis minutis tenuibus.

Colore, facie Tremellina (*Dacrymyc. stillat.*) facile dignoscitur, sed sporidiorum forma tam varia est a globosa (conidiorum) in tenuissime fusiformem, ut nesciam, quam fidem ei in hoc genere tribuam. *In ramis dejectis.* (v. v.)

2. *F. Tremelloides*, hemisphaerico - depressum, molle, aurantio - rubrum, stromate haud discreto, sporidiis longissimis pellucidis curvatis. a. *Urticae.*

Dacrymyc. Urticae. *S. M.* 11. *p.* 231 ubi syn. reliqu. *Mougt. et Nestl. exs. n.* 396. Fusarium Tremelloides. *Grev. Cryp. Scot. t.* 10.

Siccum maculaeformi - collapsum. *Ad caules siccos Urticae frequens.* (v. v.)

Huic accedit magna copia affinium formationum tam magnitudine, quam colore diversarum, etiam

---

lutella ciliata a suis generibus. — *Achitonium* Kunz. ob vegetationem superficialem ad Fusisporia infima juniora proxime accedit. Obiter legi, sed evolutionis seriem sequi non licuit.

sporidiis in variis caulibus visarum, quas nunc haud separatim proponam.

3. *F. roseum*, hemisphaericum, firmulum, roseum, stromate convexo, sporidiis rectiusculis pallidis.

F. roseum. *Link Obs.* 1. *p.* 8. *cum ic. Spec. Pl. p.* 31. Fusid. *Diss.* 2. — *Duby Syn. Gall.* 2. *p.* 104.

Alter hoc est caulicolarum typus, praecedenti firmior nec in maculam collabescens, insuper multis formis luxurians, quas argutius distinctas species optantes separent. *Ad caules et folia sicca; forma primaria in Malvaceis lecta.* (v. v.)

4. *F. fructigenum*, verrucoso-irregulari-confluens, firmulum, rubrum, stromate obsoleto, sporidiis rectiusculis gracilibus hyalinis.

Haec et proxime sequentes species vegetatione irregulariter emergente, nunc verrucosa, nunc irregulariter expansa conveniunt; praesens colore rubro et sporidiis longis vix curvis quodammodo insigne est. *Ad fructus Rosae pomiferae* etc. *autumno.* (v. v.)

Inter hoc et sequ. medium videtur *F. flocciferum* Corda apud Sturm. III. 6. t. 7. roseum, sporidiis curvis, floccis tenuissimis immixtis praecipue insigne. Non vidimus — Lectum est ad nucleos *Aesculi* in sqq. societate.

5. *F. oxysporum*, verrucoso-irregulare, confluens, roseum, stromate convexo, sporidiis tenuibus curvis. *Schlecht. Ber. p.* 106.

Ad tubera Solani. (v. v.)

Ex omni parte simile est *F. aurantiacum* Corda l. c. t. 8., sed color aurantiacus. Lectum est in societate *F. flocciferi* et *oxyspori* ad nucleos aesculi.

6. *F. sulphureum*, effusum, sulphureum, stromate tenuissimo expanso, sporidiis crassiusculis curvulis. *Schlecht.! l. c.*

Ad tubera Solani. (v. s.)

7. *F. heterosporium*, effusum, ruberrimum, stromate conidiorum expanso, sporidiis perfectis curvulis. *Nees! Nov. Act: Ac. Nat. Cur. IX. p.* 135.

Dignoscitur optime loco *ad semina Lolii.* (v. s.)

Obs. *F. expansum*, sporidiis cylindricis incurvis aurantiacis obsolete septatis, Schlecht. l. c. videtur *Fusisporium*, at *simillimas formationes in Thelephoras veras* explicatas vidi. Nascitur in ramulis, *supra Stilbosporae* acervos. (v. v.)

IV. BLENNORIA. Fries.

Fries S. O. V. p. 366. *Duby Syn.* 2. *p.* 885.

CHAR. Sporidia simplicia, cylindrica, truncata, pellucida, supra stroma gelatinatinosum in discum erumpentem conglutinata. *Color nigrescens.*

Obs. Stictibus cognatum, sed speciem primariam saltim, quam hoc loco tantum proponimus, nullius Stictidis cognitae anamorphosin esse certi sumus. Crescendi modus vero *St. phacidioidis*, a quo stromate confluente gelatinoso et colore certe diversum est.

1. *B. Buxi*, ll. cc. *Moug. et Nestl. exs.* n. 882.

In utraque pagina foliorum erumpunt tubercula planiuscula gelatinosa disciformia fusco-atra, epidermide rupta cincta, lin. usque lata, e quibus sub microsc. diffluunt sporidia copiosissima minuta utrinque truncata. *Ad folia Buxi Galliae* Guépin, Moug. etc. (v. s.)

De *Melanostromate* Cordae videas sub Volutella.

V. CORYNEUM. Nees.

Nees Syst. p. 34. Seiridium *ib. p.* 23.

CHAR. Sporidia fusiformia, multiseptata, pedicello adnata, erecta, dense parallele in discum stipata primitusque conglutinata. *Color niger.*

Obs. 1. Genus *Stictidi*, mediante *Cryptomyce* Grev. (cujus habemus speciem simillimam pro *Stilbospora ovata* missam, sed distincte ascigeram) perquam affine et typice ejus degeneratio sporidiis subclavatis ex ascis haud evolutis ortis, eodemque modo cum ea cohaerens ac *Stilbospora* cum Sphaeriis. A *Stilbospora* analoga differt ut fungus cupulatus a *Pyrenomycete*, nempe sporidiis aduatis erectis in discum stipatis nec in nucleum conglobatis — a *Sporodesmieis* sporidiis haud in floccos liberatos solutis nec ad septa in sporidia collabentibus. Septa in Coryneo evanescere vidi — nec ea in *Seiridio* pinxit Nees.

Obs. 2. Seiridium *Nees* huc refero e speciminibus ab illustrissimo inventore missis. Habitus prorsus idem; discos utrumque sistit minutos atros Stictidarum more per epidermidem arborum mortuam erumpentes. Sporidia *Seiridii* sub microscopio Corynei mere septata vidimus, nec ulla re differunt nisi pedicellis tenuioribus et apiculo terminali filiformi pellucido. — At exacte eadem redeunt differentiae in genere maxime analogo Aregmate; *Seiridium* ad *Coryneum* se habet ut Aregma sensu strictiori ad Phragmidium — et haec analogia tanta est, ut Cel. Schweiniz *Aregma speciosum* pro Seiridio habuerit. Duas tantum notabimus species:

1. *C. marginatum*, sporidiis fusiformibus apiculo filiformi pellucido terminatis, pedicellis tenuissimis. *Nees! Syst. f.* 19. Seiridium.

Pedicelli longi, graciles, in stroma juncti, ut sporidia concatenata videantur. *Ad ramos Rosae caninae.* (v. s.)

Cfr. *Aregma speciosum.*

2. *C. umbonatum*, sporidiis clavatis apice obtusis, pedicellis mediocribus. *Nees! Syst. f.* 31.

Ad ramos arborum dejectos frequens. (v. v.)

Inter plurimas Corynei Auctorum species, quas quidem ad specimina normalia discernere possum, nullos inveni limites, saltim ad plurima a me ipso lecta specimina confunduntur. Ex aetate et statione humida (ubi discus turgescit, sporidia magis tument et prominent) variat discis depressis, planis et convexis, nec non sporidiorum forma. Equidem fingo Mycologiam plus emolumenti, quam detrimenti e generibus, sensu recepto, in his infimis ambiguis formationibus pro speciebus sumtis capturam. Huc igitur refero Corynea omnia Auctt., nempe:

* *C. depressum*, disco depresso, sporidiis ovalibus, pedicellis tenerrimis. *Myc. Heft.* 1. *p.* 75. *f.* 17.

* *C. umbonatum*, disco plano, saepe umbonato, sporidiis cylindricis. *Nees l. c.* C. disciforme. *Myc. Heft* 1. *p.* 76. *f.* 28. *Schmidt et Kunz. exs. n.* 160. *Moug. et Nestl. n.* 573.

* *C. pulvinatum*, disco convexo, sporidiis ovalibus. *Myc. Heft* 1. *p.* 76. *f.* 18. *Exs. n.* 136. *Moug. et Nestl. n.* 574. (pedicellis brevioribus: C. brachyurum. *Link Spec.* 1. *p.* 129.)

* *C. confluens*, disco medio elevato confluente, sporidiis oblongis, pedicellis tenerrimis. *Myc. Heft* 2. *p.* 66.

Inter haec plurima exstant intermedia — nec non alia propinqua nova genera ex hodiernis principiis offerentia. Equidem vero (cui id saltim clarum est, has formationes sub microsc. compos. vel accuratissime lustratas habere et veram earum naturam nosse, res esse diversissimas) nova genera inserere non audeo, quare duas recedentes paucis notabo;

a) Sporidia erecta, clavata, haud septata (septis forsan evanidis), pedicello septato. Alius facile *Prosthemii betulini* status, cui loco et habitu prorsus convenit, non ita vero characteribus microscopicis.

b) Sporidia (aut potius asci vacui) flocciformia contigua, dein moniliformi-constricta, erecta, adnata (absque pedicello) dense parallelo-stipata in discum conglutinatum. *Color ater.* — Status inter *Stictidem* et *Coryneum* prorsus intermedius; discus formatur e floccis condensatis, aliis contiguis (paraphysibus), aliis moniliformibus, ascis in multis Cenangiis v. c. *C. Craterio*, in quo asci tantum moniliformes, respondentibus. Habitus ceterum *Corynei*, sed forma primaria in cortice Tiliae obvia, ceterum vix diversa a *Stict. nigrella*, vere ascigera. — Multa sane restant, quae de dubia et suspecta harum infimarum formationum indole in medium proferre possem, sed quae differam, donec ex integro earum anamorphosin exponere liceat. Faustum vero censeo, quod hactenus nemini evidentiores Fungos, v. c. *Polyporos*, *Thelephoras* etc., ob easdem rationes in diversas classes et genera distribuere in mentem venit, licet in his etiam melius sequi licuit ascorum primo immersorum, dein emersorum anamorphosin in sporidia septata e. s. p. Videas v. c. iconem *Theleph. corrugatae* (Padi) apud Grev. Crypt. Scot. t. 234. — Et quantopere in uno eodemque perithecio v. c. *Sphaeriae polymorphae* mutati sunt asci? Ad characteres genuinos eruendos microsc. comp. necessarium est, sed omnia genera, immo species, quae dein nudo oculo vel lente non recognoscuntur, mihi dubia sunt.

VI. DICOCCUM. Corda.

Sturm. Deutschl. Fl. III. Heft 9. t. 55.

CHAR. Sporidia haud pedicellata, didyma, in discum denudatum conglutinata. *Color ater.*

Obs. Genus vera indole prorsus mihi ignotum — ex Auctore laudato recepi, cum *Didymosporio* reliquisque sequentium serierum analogis perfecte respondeat. Parum autem recedere ab *Hysteriis* superficialibus in formationes Stilbosporeas primitus deliquescentibus recedere videtur. Optime igitur in vicinia Schizodermatis collocatum, a quo sporidiis uniseptatis differt. Sporidia vero septata, didyma, simplicia etc. inter *Hysteria*, *Sphaerias*, *Pezizas* omniaque certa genera differentiam genericam haud offerre, notissimum est.

1. *D. minutissimum.* l. c.

Acervuli minutissimi, punctiformes, atri. Sporidia oblongata. *Ad ligna denudata.* (v. ic.)

VII. SCHIZODERMA. Kunze.

Kunz. — Syst. Orb. Veg. 1. *p.* 194. Hypodermium. *Link Spec.* 2. *p.* 88. nec diss. 2. nec Decand. Uredinaria. *Chev. Par. p.* 411. inclusa Nosophlaea.

CHAR. Sporidia simplicia, in discum acervumve erumpentem conglutinata. *Color ater, fuscus.*

Obs. 1. Praeter sporidia, ut in plerisque, observatur simul materia grumosa, stroma quoddam haud discretum sistens. — Est *Melanconii* analogon, species offerens multas, sed omnes, quas plene persequi licuit; *Phacidiacearum* esse degenerationes inveni; ad illas ut analoga Spilomata ad Graphideas referendas. Sic v. c. *Hypodermium nervisequium* Link l. c. est alius status *Hysterii nervisequii*, *Hypodermium sparsum* Link l. c. *Hysterii pinastri*

e. s. p. Utrum vero inter multas, quas vidi, formas quaedam sint, quae ad statum perfectiorem non pertineant, an non, in praesenti haud dixerim, nec species distinguere periclitor.

Obs. 2. Quod *Ustilago Segetum* inter reliquas Ustilagines, id inter *Schizodermata* videtur *Sorosporium* Rudolphi! in Linn. 1829. p. 116. t. 2. Hanc speciem, ut certe autonomam, seorsim notabimus:

1. *S. Saponariae*, acervis alabastris plantarum viventium insidentibus. *Rudolphi l. c.*

„Sporidia in globulos, oculis inarmatis vix discernendos, 40—50 sporidia continentes, conglobata et fere concreta; minuta, ovata, rotundata, interdum subacuminata, omnia fere aeque magna, fusca, pellucida.“ *In alabastris Saponariae Germaniae.* (v. s.)

ORDO II.

STILBOSPOREI.

CHAR. Sporidia in nucleum (absque perithecio) sub epidermide plantarum conglutinata, dein erumpentia vel cum gelatina l. libera.

Obs. Ad praecedentem ordinem ut Sphaeriacea stirps, ad Phacidiaceam accedunt *Stilbosporei.* Varii eorum sunt tantum Sphaeriaceorum status degeneres et autonomae, olim ad Pyrenomycetes certe quoque transferendae. Nucleus enim, non perithecium, Pyrenomycetum essentialem characterem offert. Nam limites inter perithecium verum, spurium, v. c. ab epidermide matricis nigrefacta ortum, et nullum neutiquam poni possunt. Ut *Discomycetes* demum omne excipulum proprium amittunt, et *Stictides* v. c. merum discum absque excipulo offerunt; sic etiam *Stilbosporei* nucleum absque perithecio. Ut *Cryptomyces* Grev., ad Discomyce-

tes, ita *Sphaerotheca*, *Splanchnomycesque* Corda se habent ad Pyrenomycetes (bene mihi cognitae plantae, licet non omnem speciem genere separem) — nec ob ascos hoc loco inter Stilbosporeos recipiuntur.

VIII. NAEMASPORA.

Naemasporae spec. *Auct.* (Wildenow nomen invenit, sed Sphaeriis adscripsit.) Naemaspora. *Fries*, *Ehrenb.* — Myxosporium. *Link.*

CHAR. Sporidia simplicia, colorata, massa gelatinosa in nucleum cellulosum juncta, dein cum gelatina cirrhorum forma profluentia. *Cirrhi lacte colorati.*

Obs. Huc relatas species autonomas esse nullum dubium, sed ipsae externa facie licet simillimae duplicem habent statum sub mitr. compos., nunc sporidia minima globosa (conidia), nunc fusiformia et curvata. (Unde acutiss. *Desmazières* has sub nomine grato *Libertellas* descripsit in Ann. Scienc. Nat. Mart. 1830.) Hanc rationem paucis verbis exponere non licet; notandum tantum sporidia fungorum vel a *conidiis* oriri, vel a *floccis* (Trichospermi) vel ex *ascis* separari. Ultimarum forma constans est, sed apud omnia genera, quorum sporidia fusiformia a conidiis oriuntur, haec per varios status a globosa in oblongam et fusiformem explicantur. Sic *Tuberculariae Buxi* Dec. est status conidiifer *Fusisporii Buxi*; hinc *Fusariis*, *Periolis* etc. sporidia varia — at haec quoque ad Mycologiam theoreticam reservare cogor. (Ex his satis elucet ambiguitas multarum subsequentium generum formarum. Eadem v. c. ratio est *Cryptosporii vulgaris* et *Melanconii sphaeroidei.*)

1. *N. aurea*, nucleo expanso celluloso-gyroso sporidiis subrectis fusiformibus aureis. *Fries Stirp. Femsj. p.* 90.

N. crocea. *Ext.* n. 107. Libertella betulina. *Desmaz. l. c. t.* 5. *f. IV.*

Hanc speciem certe vidi sporidiis (conidiis) globosis et fusiformibus. Nucleus sequentium major. *Ad cortices Betulae, frequens.* (v. v.)

2. *N. crocea*, nucleo pallido, sporidiis curvatis tenuissimis aurantiacis.

N. crocea. *Pers. Obs.* 1. *p.* 81. *Syn. p.* 109. *Moug. et Nestl.* n. 177. (in meo exempl. conidiifera). Sphaeria profusa *Sowerb. t.* 374. Status conidiifer: Naem. crocea. *Desmaz. l. c. t.* 5. *f.* 111. — sporidiifer: Libertella faginea. *l. c. t.* 5. *f. V.*

Cirrhi tenues, crispatissimi et intricati, sed jove uvido rudes. *Ad truncos Fagi.* (v. v.)

3. *N. Rosae*, sporidiis in semicirculum curvatis tenuissimis aurantiacis. *Desmaz. l. c. t.* 5. *f. VI.* Libertella.

Acervi oblongi, confluentes. *Ad ramos Rosae caninae.* (v. ic.)

4. *N. microspora*, sporidiis minutis ovoideis aurantio-rubris. *Desmaz. l. c. t.* 5. *f.* 1.

Cirrhi plerumque rudes. *Ad cortices Quercus, Carpini* etc. (v. v.)

5. *N. incarnata*, sporidiis majoribus ovoideis incarnatis. *Desmaz. l. c. t.* 5. *f.* 11.

Cirrhi rudes, tum conidiifera; vel tenues tum sporidiifera — hoc etiam in *N. betulina*, *crocea* vidi; num constans lex? *Ad ramos Salicis v. c. Capraeae, hieme.* (v. v.)

Sporidia in perfectissimo statu, quo observata indicata — *N. populina.* Pers. etiam Cytispora est.

IX. SEPTORIA. Fries.

Cfr. *El. Fung.* 2. *p.* 117.

CHAR. Sporidia septata, fusiformia, pellucida, in nucleum simplicem conglobata, dein cum gelatina cirrhorum forma profluentia. *Cirrhi haud nigri.*

Obs. 1. Genus inter Stilbosporeos et Pyrenomycetes medium, exstantque simillimae formationes et cum (Pyrenomycetes) et sine perithecio (Stilbosporei). Hae hoc loco servandae, illaeque ad principia systematica distinguendae eadem ratione ac *Cytispora* et *Naemaspora*.

Obs. 2. Ob nexum cum Pyrenomycetibus arctiorem species primarias sub his jam exposui, sed etiam in hac serie citandae sunt. In singula planta ceterum diversa videtur adesse species. Cel. *Desmazières*, qui plures jam addidit species, v. c. *S. Rosae* Exs. n. 535., *S. Heraclei* Exs. n. 534. etc., Monographiam mox divulgabit.

X. FUSIDIUM. (Link pr. p.?)

CHAR. Sporidia simplicia, demum fusiformia, in acervum nucleiformem sub epidermide compacta, demum fatiscendo libera. *Colorata, nec atra.*

Obs. Genus a praecedentibus certe diversum: sporidiis cellulis haud receptis, gelatina fugaci et cum sporidiis minime diffluente, totoque habitu. A *Cryptosporiis* mox dignoscuntur colore et situ sporidiorum — illumque characterem majoris esse ponderis, quam sporidiorum formam, septa etc. docuit praecipue studium Pyrenomycetum genera argutius limitandi. *Fusariis* proxima sunt, natura tamen diversa et ad Stilbosporeorum morem sub epidermide nuclei instar conglobata, nec disciformi – de-

nudata. Ad praesentis igitur Mycologiae genium bene separari possunt. Reliquis Fusidiis inter Fusisporia et Fusaria dispertitis Fusidii nomen, ut novum evitetur, his tribui.

1. *F. candidum*, stromate spurio, acervis hemisphaericis candidis, sporidiis subrectis.

Hyster. album. *Schum. Saell.* 2. *p.* 152. F. candidum. *Link Spec.* 2. *p.* 97. omnino convenit — sed a *Velutella pallente* nostra (Fusar. pallente Link?) ad quam illud abire dicitur, nostra diversissima est.

Acervi parvi, passim confluentes, sub epidermide nidulantes, demum disciformi-erumpentes; epidermis vero supra acervos demum rimose fissa. *Ad cortices ramorum languescentium* (v. v.)

Ejusdem indolis videtur Hysterium arachnoideum *Schum. l. c.*

2. *F. aurantiacum*, stromate obsoleto, acervis oblongis aurantiacis, sporidiis curvatis.

Fusarium hypodermium. *Link Obs.* 2. *p.* 31. Cryptosporium aurantiacum. *Link Spec.* 2. *p.* 96.

Acervi oblongi, passim confluentes, epidermide demum secedente tectis. Praecedenti omnino est congener. *In caulibus exsiccatis Umbelliferarum.* (v. s.)

Alia minima species, rufogilva, sporidiis exiguis *in Equiseto* v. s. p.

Obs. CYLINDROSPORIUM: Sporidia minutissima cylindrica, truncata simplicia per epidermidem erumpentia in acervos minutos conglutinata, cujus una species — *C. concentricum* candidum *Grev. Crypt. Scot. t.* 27. multis rationibus his affinis, potius tamen ob proventum in foliis vivis ad Hypodermios (Uredines) referatur.

XI. CRYPTOSPORIUM Kunz.

Myc. Hejt 1. *p.* 1. *Corda apud Sturm. III. Heft* 9.

CHAR. Sporidia simplicia, fusiformia, sub epidermide primitus conglutinata, demum libera. *Color nigricans.*

Obs. Septa sporidiorum numquam vidi. Species numerosae, tam corticolae, quam foliicolae. — Ad illas cel. *Corda* Nosophlaeam nostram trahit, sed haec diversissima est et nil omnino fungosi monstrat. Est, ut in S. O. V. p. 200. jam indicavimus, pathologicus tantum status ipsius *corticis vivi*, in cujus rimis cellulae quaedam solutae pulverem rufescentem et laxum offerunt, ab acervis sporidiorum atris Cryptosporii diversissimum. Talem quoque describunt Persoon *Uredinem alneam* et Nees *Ured. subcorticalem.* Veram dedit *Desmaz. exs.* 279., qui de ejus indole etiam nobiscum consentit. Ad Uredines proxime accedit, sed adhuc inferior. — Species descriptae sunt:

1. *C. Aesculi*, stromate subconico, sporidiis fusiformibus rectis utrinque cuspidatis atris (subhyalinis.) *Cord. l. c. t.* 52. sub Fusicocco.

Pustulas in cortice sistit habitu Melanconii, passim confluentes. *Ad ramos emortuos.* (v. ic.)

2. *C. vulgare*, stromate spurio, sporidiis fusiformibus curvatis atris (subhyalinis). *Cord. l. c. t.* 51. (Neesii) excl. syn.

Habitus fere praecedentis. *Ad ramos emortuos Alni, Coryli etc.* (v. v.)

Nomina specierum inter has infimas plantas, ubi ad locum natalem vulgo referuntur, Mycologis dicari nollem.

3. *C. Caricis*, stromate nullo, sporidiis fusiformibus leviter curvatis fuscis pellucidis. *Corda l. c. t.* 50.

Acervi minuti, punctiformes, vulgo hypophylli, sed epiphyllos misit Cel. *Desmazières* (n. 197), qui etiam pro novo Cryptosporio determinaverat. *Ad folia Caricum.* (v. s.)

4. *C. Graminis*, stromate nullo, sporidiis fusiformibus leviter curvatis atris opacis *Kunz.! l. c. t.* 1. *f.* 1. *Corda l. c. t.* 49.

Acervuli elongati, tarde erumpentes et subinde forsan numquam, sed hoc ad generis typum vix pertinere potest. *Ad folia Graminum.*

5. *C. confluens*, stromate nullo, sporidiis ovalibus rectis atris. *Kunze! in Weig. Surin.*

Acervi oblongi, saepius confluentes. Sporidia gelatina juncta seriatim secedunt. *Kunz. Ad folia Panici in Guajana.* (v. s.)

Obs. Inter Pyrenomycetes est *Labrella* Fr. El. *Cryptosporium* perithecio (fere spurio) auctum. Huic ultima spec. valde accedit.

XII. STILBOSPORA. Pers. emend.

Stilbosporae spec. *Auct.* Stilbosporae et Melanconii spec. *Link Spec.* Sporodesmii spec. *Corda.*

CHAR. Sporidia septata (septis vero passim evanidis) sporidiolis farcta, in nucleum (absque proprio perithecio) conglutinata, demum erumpentia libera. *Color niger.*

Obs. 1. Sporidia majuscula, variant fusiformia, oblongata, ovato-pyriformia, at vix pedicellata. Singularia sunt sporidia passim composita. Multum ex aetate mutantur, et specimina habeo eodem loco diversis aetatibus collecta, quae diversa fingeres genera. Sic v. c. aliam vidi *Stilb. ovatam* sporidiis septatis, aliam haud septatis, quas vix distinguam. (Simile de *Didymosp. elevato* observat Link.) Ceterum hoc genus adeo omni vegetatione et historia cum sequentibus convenit, ut nullo modo lente simplici (multo minus species) discerni queant. — At a Sporodesmio tota sua indole mihi diversum videntur.

Obs. 2. *Stilbospora* perithecio aucta est *Prosthemium* Kunz., ut Naemaspora eadem ratione fit *Cytispora.*

Plures hujus generis species jam mihi innotuerunt, Sphaeriis vulgo adscriptae; nam character genericus quoad sporidia ita extendendus, ut supra Stilbosporae. Species Kunzeana *P. betulinum*, sporidiis fusiformibus, 2—3 basi junctis, pedicellis spuriis, stromate applanato valde insignis est. Cfr. *Myc. Heft* 1. *p.* 17. *t.* 1. *f.* 10. Quantum e specc. minus completis video, tam *Coryneum corticale*, quam *Stilbospora epiphylla* Schwein. Car. n. 513, 514. hujus generis. In illa video perithecia subquaternata circinantia, sub epidermide corticis Platani occidentalis; in hac perithecia sparsa, sporidiis quadriseptatis, pedicellatis, per epidermidem foliorum Castaneae erumpentia. Hoc genus et alia quaedam recedentia in Syst. Myc. II. recipere debui, cum limites haud definiti essent, nec de singulae anomaliae statu normali convictus essem. Ut alii etiam considerent velim diversam esse rationem rei tractandae, quum unicam speciem tantum describimus et quum omnia diverso modo tractata exponenda sunt. Haec, ut spero, in nova Pyrenomycetum expositione solvam. Tum simul *Stilbosporeas* plenius tam speciebus enumerandis, quam sporidiorum nexu cum ascis exponendo, D. v., tractabo. Sunt descriptae:

1. *St. asterosperma*, stromate floccoso-grumoso, sporidiis stellatis.

   St. asterosp. *Pers. Syn. p.* 96. *Hoffm. Deutschl. Fl. t.* 13. *f.* 3. Asterosporium Hoffmanni. *Kunz. in Flor. Ratisb.* 1819. p. 225. *Moug. et Nestl. n.* 669.

   Habitus omnium specierum idem, etiam color; variant quoque plurimae sporidiolis farctae opacae et his evacuatis pellucidae. Hujus sporidia pro ratione parva. *In ramis emortuis.* (v. v.)

2. *St. cheirospora*, stromate floccoso, sporidiis digitato-connatis. — *Fries Syst. Orb. Veg.* I. *p.* 365.

   Sporidia praecedentis similia, e pluribus connatis quasi facta, sed omnes radii unam plagam

spectant nec stellati sunt. — Singulas non septatas vidi. Eadem, quae ante sex annos examinavi, exemplaria nunc longe aliam sub microscopio monstrant faciem; nempe globulos minutos hispidulos. *Ad ramos.* (v. s. a Moug. comm.)

3. *St. rhabdospora*, stromate mucoso-floccoso, sporidiis ovato-globosis dense striatis.

Rhabdosporium diffusum. *Chev. Par. p. 428. t. 11. f. 3.*

Sporidia ad *St. ovatam* accedunt, sed dense striata „marginibus non integris sed quasi hispidulis.“ Hoc icon non monstrat. *Ad ramos quercinos.* (v. ic.)

E speciebus stromate instructis ad eodem destitutos l. spurio gaudentes series contigua.

4. *St. macrosperma*, stromate vix ullo, sporidiis ovali-oblongis quadriseptatis.

St. macrosperma. *Pers. disp. meth. t. 3. f. 13. Nees Syst. f. 17. Moug. et Nestl. n. 383.* Sporidesmium. *Corda l. c. t. 21.*

Non est *Spermodermia clandestina* Tode. *Cum praecedentibus frequentior.* (v. v.)

5. *St. angustata*, stromate vix ullo, sporidiis cylindricis 4—5 septatis.

St. angustata. *Pers. Syn. p. 96. Link Spec. 1. p. 95.* Sporidesm. *Corda l. c. t. 22.* Coryneum Weinmanni. *Spengel* in Fl. Rat. memorat. ad spec. Weinmanni.

Praecedenti affinis, sed sporidia longiora, angustiora. *Cum prioribus.* (v. v.)

6. *St. ovata*, stromate vix ullo, sporidiis ovatis tri- aut non septatis.

St. ovata. *Pers. Obs. Myc. 1. p. 31. t. 2. f. 2. Grev. Crypt. Scot. t. 212. f. 2.* Melanconium. *Link Spec. p. 89. Fries exs. n. 215.*

b. St. pyriformis. *Hoffm. l. c. t. 13. f. 4.*

Plurimas in schedul. ex hac distinxi formas, at cum differentiae parum palpabiles sint, eas lubens omitto. Rarius septata, tamen magnitudine sporidiorum farctorum ad hoc genus facile refertur. *Locis consuetis frequens.*

Huic proxime simul accedunt. *Melanc. apiosporium*, *ovoideum* et *effusum*. Link l. c. — Plurimae mecum communicatae Stilbosporae ad alia genera pertinent. *Stilbosp. biloculata* Grev.! Edin. est vera Dothidea. e. s. p.

XIII. DIDYMOSPORIUM. Nees.

Nees Syst. p. 33.

CHAR. Sporidia didyma, medio septata, in nucleum (absque perithecio) conglutinata, demum erumpentia libera. *Color ater*, *fuscus*.

Obs. Habitu et charactere inter proxima omnino intermedium. Species descriptae:

* *Plantarum perennium.*

1. *D. elevatum*, stromate subconico pallescente, sporidiis ovalibus.

Stilbosp. spermatodes. *Link Obs. II. p.* 30. Melanconium betulinum. *Schmidt et Kunz. Exs. n.* 208. *Moug. et Nestl. n.* 670. *Fr. exs. Desmaz. exs. n.* 135. Didymosp. betulinum. *Grev. Crypt. Scot. t.* 273. D. elevatum. *Link Spec. 2. p.* 94.

Praecedenti et habitu et sporidiis affine; ob stroma acervi elevati. — Vix erraret qui genere conjungeret, quos enim e septorum numero Sphaeriae species in plura genera laceraret? Ceterum, si meum judicium proferam, tantum alius status est *Sphaeriae melaspermae!* veris peritheciis instructae. *Frequens Melanconii bicoloris socius in Betula*, etc. (v. v.)

2. *D. complanatum*, stromate spurio oblitterato, sporidiis subglobosis atris.

Stilbosp. didyma et conglutinata. *Link Obs. II. p.* 30, 31. ex ipso. Stilbosp. fugax. *Schmidt et Kunz. exs. n.* 79. Didymosp. complanatum. *Nees Syst. f.* 29. *Link Spec. 2. p.* 93.

Acervi prioris multo minores, supra plani, demum denudati ut inter Tubercularieas, ut jam habitu dignoscatur. Sporidia minora. *Ad ramos arborum*, *etiam Betulae*, *frequens*. (v. v.)

3. *D. profusum*, stromate nullo, sporidiis didymo-oblongis minutissimis atris.

Stilbosp. profusa. *Grev.! Crypt. Scot. t.* 212. *f.* 1. Didymosp. *Ejusd. Ind. univ.*

Acervorum conico-depressorum habitus, qualis in prima specie vel *Cryptosp. vulgari*, sed deficit stroma insigne et sporidia minutissima. *In Fago, Acere platanoide etc.* (v. v.)

4. *D. truncatum*, stromate convexo, sporidiis ovatis utrinque truncatis nigris. *Corda apud Sturm. III.* 7. *t.* 23.

Acervi conico-depressi. Sporidiorum forma singularis. *In ramis Ribis rubri.* (v. ic.)

** *Plantarum annuarum.*

5. *D. bullatum*, acervis epidermide bullata tectis, sporidiis didymis fuscis.

Uredo bullata. *Pers. Obs. Myc.* 1. *p.* 98. *t.* 5. *f.* 9. *Syn. p.* 222. Bullaria umbelliferarum. *Dec. Fr.* 2. *p.* 226. Stilbosp. bullata. *Link Obs.* 2. *p.* 30. Puccinia. *Ejusd. Spec.* 2. *p.* 78.

Acervi in caule subovati, epidermide vix umquam rupta. *In caulibus Umbelliferarum.* (v. v.)

An hujus generis *Caeoma rimosum*. Link Spec. 2. p. 6.? Non vidi plantam, sed ex descr. non videtur *Uredo*, a qua omnia heterogenea praecipue expurganda, quando species non distinguimus.

Obs. *Didymosp. Hedysarii* Schwein.! Car. p. 49. est *Dothideae Chaetomio* affine h. e. Exosporium sensu Linkiano — ab hoc ordine prorsus relegandum.

XIV. MELANCONIUM. Link.

Melanconii spec. *Link et Auct.*

CHAR. Sporidia globosa, simplicia, in nucleum (absque perithecio) conglutinata, demum erumpentia libera. *Color ater.*

Obs. Praecedentibus cognatum et simillimum genus, sporidiis minimis simplicibus distinctum — ad species difficile referendis, cum et ipsa varia sint, et saepissime credas, te ante oculos habere aut priorum status mutatos, aut Sphaerias degeneratas. Id saltim constat, *Melanconia* et Sphaerias circinantes circa idem stroma, et in eodem acervo obviam venire. Species Linkianas repetam, addita insigni *Papularia* S. O. O.

* *Plantarum perennium.* (Stilbospora microsperma. *Pers. Syn. p.* 96.)

1. *M. bicolor*, stromate elevato prominente albo, sporidiis compactis subglobosis minutis atris opacis.

M. bicolor. *Nees Syst. t.* 2. *f.* 27. *Link Spec.* 2. *p.* 92. M. discolor. *Schmidt et Kunz. exs. n.* 298.

An alius *Didymosp. elevati* status? pustulae in cortice nigrae conoideae simillimae, et in Betula promiscue crescunt — variatque sporidiis subovalibus. *Sed equidem relata tantum referam. — In cortice arborum.* (v. v.)

2. *M. conglomeratum*, stromate depresso, sporidiis haud compactis subglobosis minutis atris opacis.

Melanc. atrum. *Link diss.* 1. *p.* 3. *t.* 1. *f.* 7. Stilbosp. conglomerata et microsperma. *Link Obs.* 2. Melanc. conglom. *Spec. l. c.*

Acervi prioris minores, cortici magis immersi, absque prioris stromate columellaeformi, demum magis effusi. *Ad ramos v. c. Fagi.* (v. v.)

3. *M. sphaeroideum*, stromate elevato latente, sporidiis compactis globosis minimis pellucidis. *Link l. c. Moug. et Nestl. exs. p.* 384.

Acervi et habitus primae speciei, sed stroma sporidiis prorsus obtectum, non prominens album. Illi nec M. sphaerospermo mihi videtur affine. *In ramis Alni, Frangulae etc. siccis.* (v. v.)

4. *M. disseminatum*, denudatum, stromate nullo, sporidiis globosis minutis atris pellucidis. *Link l. c. p.* 91.

Acervuli e ligno putrescente erumpentes, dein dispersi. Dubia mihi, ut multae aliae species. *Ad ligna.* (v. v.)

** *Plantarum annuarum.*

5. *M. sphaerospermum*, stromate nullo, sporidiis erumpentibus haud compactis globosis minutis atris pellucidis.

Stilbospora sphaerosperma. *Pers. Syn. p.* 97. *Obs. Myc. t.* 1. *f.* 6. *Schmidt et Kunz. exs. n.* 102. Melanconium. *Link l. c.*

Origine ab Ustilagine differt, quam refert adultior effusa, nam acervi primo sub bulla epidermidis oblonga rimose fissa latent. *Ad culmos Arundinis Phragmitis, nec alias vidi.* (v. v.)

6. *M. Papularia*, stromate nullo, sporidiis inclusis compactis globosis minutis atris, P. Fagi. *Fries Syst. Orb. Veg.*

Pustulas sistit subrotundas, parum elevatas, confertas, extus cinereo - nigricantes, numquam rumpentes in foliis delapsis; sed epidermis demum circumscissa separatur et tum sporidia prodeunt nuda parca, nec ut prioris inquinantia. *Ad folia sicca Fagi.* (v. v.)

Obs. Loco succoso et jove pluvio etiam ultima tria genera sporidia cirrhorum forma propellunt, sed his vix normale videtur. Tales status sunt Sphaeria carpinea *Sowerb. t.* 376., Naemaspora magna *Grev. Crypt. Scot. t.* 349.

ORDO III.

SPORODESMIEI.

CHAR. Sporidia in floccos concatenata, his demum collabentibus discreta.

Obs. Hic ordo ad *Hyphomycetes*, immo Gasteromycetes, luculenter adscendit, at differt mycelio nullo floccoso — et deleta olim Coniomycetum classe ad Dematieos, ut Sepedoniei ad Mucedines adnectendus. Seiridium re ipsa diversum est ab hoc ordine. De paucarum autonomia dubia exstant. — Ultimum genus ad Hypodermiorum seriem omnino abit.

XV. CONOPLEA. (Pers.) Fries nec Auct.

CHAR. Sporidia in floccos moniliformes concatenata et in tuberculum compactum, extus conidiis adspersum, conglobata; sporidiorum simplicium catenis demum secedentibus.

Obs. De memorabili hoc genere, quod ut primaria reliquarum sectionum altioris loci videtur, jam supra sub *Oidio* disserui, simulque indicavi rationes, cum maxime vagum Conopleae nomen huic affixi. — Ad *Torulam* eodem modo accedit ac *Phragmotrichum*, ut fungus coenotocus videatur, sed nullum verum adest peridium. Habitu refert Sphaeriam aut Tuberculariam corruptam; primo admodum compactum est, extus e conidiis (velo, v. c. Sphaeriarum, eximie respondentibus) primo coloratum, intus nigrum; demum vero denudatum, in sporidia totum fere collabens. Licet facie a Phragmidio differat, eidem affine, praecipue conidiis diversum, nam in sporidiorum forma characterem genericum ponere nolo. — Denique observandum diu mihi dubium genus, *Dichosporium* Nees, Syst. Myc. III. p. 218., vix non hujus esse speciem, licet character et icon diversam monstrent indolem; specimen, quod adest, ad examen non quidem suffecit, at ni valde fallor, *Dichosp. aggregatum* Nees Syst. f. 99. *Conoplea alba* olim erit dicendum. — Spori-

dia hujus generis reliquorum minora sunt, semipellucida, segregata facillime vulgo dilabentia. — Ab exanthematica serie omnino distant; nec ad alios fungos ut evolutiones incompletae referri possunt hujus species.

1. *C. cinerea*, tuberculis depressis, extus cinereo-pruinosis, sporidiis oblongis.

Aspergillus — — n. 7. *Mich. gen. p.* 213. *t.* 91. *f.* 6. Conopl. cinerea. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 12. quantum quidem e tribus verbis, externam faciem spectantibus, concludi potest.

Tubercula ligno putrido adnata, basi applanata, rotundata l. difformia, 2 lineas lata et ultra, primo admodum compacta et e conidiis cinerea, eis vero evanidis, ut totum genus, fusco-nigra. Ceterum tota formata sunt e floccis s. sporidiis Torulae concatenatis, modo tenuioribus, demumque sporidiis discretis pulverulenta. *Ad truncos vetustos cariosos Salicum prope Lund legimus, autumno.* (v. v.)

2. *C. olivacea*, tuberculis sphaericis, extus olivaceo-pruinosis, sporidiis ovalibus.

Dematium sphaericum. *Pers. Obs.* 1. *p.* 25. Conoplea. *Pers. Syn. p.* 234. *Myc. Eur.* 1. *p.* 12. — addita observatione sub praeced.

Tubercula minora, sphaerica, per epidermidem erumpentia, extus e conidiis granulato-pruinosa, intus nigra et priori simili structura gaudentia. *Ad ramulos emortuos vel frigore necatos Fagi, Syringae etc. vere rarius legi.* (v. v.)

3. *C. fusca*, tuberculis subrotundis, extus fusco-pruinosis, sporidiis subrotundo-ovalibus.

Conopl. fusca. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 12. cfr. obs. ad primam speciem. Oidium subramosum *Link Spec.* 1. *p.* 125. ut apparet.

Primae speciei satis similis, nec nisi senior ad *Oidium* referri potest; nostra saltim evidenter hujus generis. *Ad ramos siccos.* (v. s.)

XVI. PHRAGMOTRICHUM. Kunz.

Myc. Heft 2. *p.* 84.

CHAR. Sporidia in floccos submoniliformes stipitatos concatenata et in tuberculum extus nudum conglutinata; intus cellulosa, demum dilabentia.

Obs. Genus valde insigne, sed speciem primariam nudo oculo et dein sub microscopio lustrans diu pro anamorphosi *Sphaeriae strobilinae* habui, cum qua habitu omnino convenit. Attamen in hac serie locum suum facile tuetur; vetustum in pulverem atrum solvitur. — Characterem paulo dilatavi, ut etiam alias capiat species — nec satis scimus an sporidia cellulosa in eo recipienda sint. Unica descripta species est:

1. *Ph. Chailletii*, tuberculis erumpentibus oblongis atris, sporidiis isthmis discretis rhombeis.

Kunz. l. c. t. 5. *f.* 4. *Sommerf. Crypt. Nov. exs. Cent.* 2.

Est Alternaria sui generis, floccis basi stromati fibroso-gelatinoso adnatis. Tubercula per epidermidem erumpunt, elongata, $\frac{1}{2}$—1 lin. et ultra. *In squamis strobilorum Pini Abietis.* (v. v.)

Huic seriei *Seiridium* plurimi sine dubio vellent inserere, Sporodesmio ad Puccineas potius relato, sed qualem equidem horum generum inveni structuram, aliis locis collocare non potui.

XVII. SPORIDESMIUM. Link.

Link diss. 1. *p.* 39. *Nees Syst. p.* 22. *Corda* apud *Sturm.*

CHAR. Sporidia (e pluribus coalitis, demumque secedentibus) septata, clavata stipitata l. fusiformia, erecta, inter se discreta, nec conglutinata, basi adnata denudataque.

Obs. 1. Ut Fusarium ad Fusisporium, ita exacte Sporidesmium ad Macrosporium; differunt

tantum floccorum defectu, et evanescentibus floccis neutrum a suo distingui potest. *Helminthosporium* demum est perfectior *Sporidesmii* evolutio, et ab hoc per *Macrosporium* ad *Helminthosporium* series adeo contigua deduci potest, ut limites a natura haud positos esse certus statuam *)! Ut *Fusarium* variat *Sporidesmium* stromate nunc evidenti, nunc nullo, ex eo vero neutiquam in plura genera separari possunt. Helminthosporii sectio III. haec genera jungit.

Obs. 2. Sporidia hujus generis idem sistunt organum ac sporidiorum catena in *Torula* (*Torula herbarum* junior Sporidesmii sporidium refert), differunt tantum sporidiis magis contiguis vel ut *Helminthosporii* a *Cladosporiis*. De his rationibus plenius disserui sub analogis *Hyphomycetibus*. Et indole et praecipue evolutionis historia maxime diversae mihi videntur *Stilbospora macrospora et angustata* huc relatae. Sed *Apiosporium stilbosporium* in characteris favorem ob sporidia non septata (num septa evanida et planta *Sporid. maximum* dicenda?). In *Sp. celluloso* sporidia etiam longitudinaliter septato-cellulosa, ut in Phragm. Chaillietii vel potius in Macrosporio Convallariae. — *Sporidesmia* ut species descripta sunt:

1. *S. pulvinatum*, stromate evidente depresso, sporidiis clavatis simpliciter septatis atris, pedicello distincto pellucido.

Stilbospora pulvinata. *Schwein.! Car. n.* 511. *ad spec. ab ipso.*

Helminthosporium Tiliae refert, sed nullis fibris, tantum sporidiis liberis undique divergentibus exi-

*) Eodem modo *Cladosporium* serie contigua abit in *Torulam* e. s. p. Ex his satis patet differentiam Hyphomycetum et Coniomycetum haud naturalem esse et veniet sane dies, quae progressum scientiae in novis generibus non quaerens plurima reducet genera in diversis ordinibus nunc collocata. (Ut *Helminthosporium* ad *Sporidesmium*, ita *Dactylium* se habet ad *Fusarium*.)

mie stipitatis et multiseptatis obsessum est. Stroma evidens subrotundum, depressum; sporidiis e detersis disco rufescente vidi. *Ad ligna cariosa Americae borealis.* (v. s.)

2. *S. cellulosum*, stromate tenui depresso, sporidiis clavatis sessilibus longitudinaliter cellulosis et transversaliter septatis, atris.

Stilbospora pulvinata l. c. sec. spec. a. Schwaegr.

Quoad microscopicas notas a praecedente non potest non separari; habitus vero idem, pulvinuli tamen multo minores, e quibus undique divergunt sporidia magna, obovato-oblonga, opaca, haud adeo luculenter transverso-septata ac reliqua, sed pluribus septis longitudinalibus intus cellulosa. *Cum praecedente.* (v. s.)

3. *S. atrum*, stromate effuso, sporidiis aggregatis clavatis transverse septatis atris, pedicello distincto pellucido.

S. atrum. *Link diss.* 1. *f.* 64. *Nees Syst. f.* 18. *Cord. l. c.* 7. *t.* 17, *f.* 17. (Link spec. 1. p. 120. sequens complectitur.)

Stroma tenuitate variat. Sub microscopio sporidia *Aregma* referunt. *Ad ligna vetusta.* (v. v.)

4. *S. fusiforme*, stromate tenui effuso, sporidiis fasciculatis fusiformibus utrinque acutis fuscis, pedicello nullo.

Sp. fusiforme. *Nees. N. Act. Nat. Cur. IX. pag.* 230. *t.* 5. *f.* 1. *Corda l. c. t.* 18.

E Linkio praecedentis aetas provectior, ad quod *S. vagum* Nees l. c. f. 2. transitum efficit. *Locis similibus.* (v. ic.)

5. *S. ciliatum*, stromate nullo? sporidiis subeffusis fusiformibus, apiculo tenuissimo cuspidatis sessilibus fuscis. *Corda l. c. t.* 20.

Apiculus Seiridium in memoriam revocat, sed stipes nullus. *Ad ligna quernea et corylina.* (v. ic.)

6. *S. caulincola*, stromate nullo, sporidiis fasciculatis subcylindricis, haud apiculatis sessilibus fuscis. *Corda l. c. t.* 19.

Ad Torulas accedere videtur, sed Sp. fusiformi valde affine, sporidiis opacis 6—8 septatis nunc obtusis, nunc cuspidatis. *Ad caules siccos.* (v. ic.)

XVIII. AREGMA. Fries.

CHAR. Sporidia moniliformi-connata, opaca, pedicellis liberis longissimis pellucidis stipitata; sero tandem discreta, intus globulo solitario farcta. *Stroma nullum, nec sporidiorum diversae catenae constipantur in tuberculum.*

Obs. 1. Genus admodum memorabile, a *Pucciniis* distinctissimum. Singulum articulum vulgo dictorum sporidiorum, sporidium dico, cum ut in reliquis Sporodesmieis demum separentur, quod non in *Seiridio*, ceterum analogo, fit. Praecipue vero singulare est globulo (sporidio solitario interno) intra singulum articulum seu sporidium, ut videatur factum e sporidiolis reliquorum conglobatis. Facies byssina.

Obs. 2. Sub hoc nomine complector species tam per epidermidem arborum emortuarum erumpentes, quam in foliis vivis liberas nascentes. Inde oriuntur plures sectiones, forsan species sensu superiori e receptis vero principiis genera. Sporidia hujus numquam ut affinium generum dehiscunt, forsan ob sporidiola conglobata, hinc *Aregma* dixi genus superius, cum omnium vicinorum sporidiorum catenae septis distinctae, unde *Phragmidium*. Notum enim est Ill. *Link* et me eodem anno *Pucciniam mucronatam* P. cum aff. sub his nominibus distinxisse, quare deinceps ipse, ne meo indulgerem, Linkianum recepi; jam vero idem latiori sensu

hoc genus sumens, *Aregmatis* huic appono et *Phragmidium* ad mentem Linkianam ut subgenus servo. Multis forsan haec subgenera vera genera videbuntur, tum Aregmatis nomen ad primam sectionem translatum et Phragmidium Linkiano generi servatum vellem. — Sufficit h. l. nostro scopo e multis speciebus duas superiorum citare.

1. *A. speciosum*, erumpens, sporidiis 6—10 in cylindrum acutum septatum connatis, pedicellis longissimis aequalibus.

Seiridium marginatum. *Schwein.!* Nec Nees.

Maxime spectabile. Per epidermidem ramorum mortuorum, ipsa lacera cinctae, erumpunt densissimae greges ad $\frac{1}{2}$—1 unc. longe lateque effusae, byssinae, tactu mollissimae, dense intricatae, at neutiquam Pucciniarum Seiridiorumve more constipatae, ultra lineam crassae, colore atro. Stroma nullum et pedicelli facile secedunt. Sub microsc. composito vix quid pulchrius; est *Phragmidium* maxime luxurians. Pedicelli longissimi, sporidiorum catena sexies et ultra longiores, omnino aequales, pellucidi, (stipitem Mucoris referentes), contigui, terminati catena sporidiorum (6—10) moniliformi-cylindrica, nigra, sed pellucidula, ceterum *Phragmidii*. In vetustis sporidia secedunt pulveraceo-dispersa, ut in Phragmotricho. *Ad ramos emortuos Rosae corymbiferae in America boreali.* (v. s.)

Ex eadem Patria plures adsunt formationes quoad sporidiorum catenas recedentes circiter ut species Phragmidii, sed pedicelli aequales. Offerunt vero hi alium characterem, cum v. c. in descripta semper simplices sunt, in *Seiridio Smilacis* Schwein.! saepe ramosi, cui etiam sporidiorum catenae obtusae, opacae. Hoc vero loco ea tantum, quae historia vegetationis evidenter differunt, seorsim describo.

2. *A. Phragmidium*, superficiali-liberatum, sporidiis 3—4 in cylindrum connatis, pedicellis mediocribus.

Aregmatis spec. *Fries Obs. Myc.* 1. — Phragmidii species, *Link Spec.* 2. *p.* 84, 85. Ascophora disciflora. *Tode.*

Supra folia viva, praecipue in pagina inferiori, acervulis Uredinum vulgo insidens, superficiali-liberatum nascitur, habitu etiam Byssi, nec Pucciniae; sed in foliis emortuis persistit, perfectius explicatur, et tum demum secedunt sporidia. — In diversis foliis plurimae diversae oriuntur formationes, quae, specie ipso genere distincta, ut species considerari debent, nam ejusdem dignitatis et rationis sunt ac species *Erysipharum* (pedicelli deorsum plus minus incrassati ut in fulcro Erysipharum), multoque altioris quam Pucciniarum. At formis intermediis nimis connectuntur, nulla diversa gaudent historia etc., quare, cum descriptos synonymorum gratia citare necesse sit, ut subspecies notem:

* *A. Phragm. bulbosum*, ultimo sporidio sterili apiculatum, pedicellis basi incrassato-bulbosis. *Link et Fries ll. cc.*

Puccinia mucronata. *β. Pers. Syn. p.* 230. Puccin. Rubi. *Schum.* Uredo bulbosa. *Strauss Wett. Annal.* 2. *p.* 108. Pucc. Rubi *Dec.*

In foliis Ruborum fruticosorum. (v. v.)

* *A. Phragm. mucronatum*, ultimo sporidio sterili mucronatum, pedicellis deorsum fusiformi-incrassatis. *Link et Fries l. c.*

Puccinia mucronata. *α. Pers. l. c. Sowerb. t.* 400. *f.* 9. P. Rosae. *Schum.* — *Dec.* — *Grev. Crypt. Scot. t.* 15. *Nees Syst. f.* 14. Uredo mucronata. *Strauss.*

In foliis Rosarum, v. v. (Inter hoc et praecedens prorsus medium est *Pucc. Rubi idaei* Decand.)

* *A. Phragm. acuminatum*, ultimo sporidio sterili apiculatum, pedicellis aequalibus. *Fries l. c.* Phragmid. interm. *Link l. c.*

In Rubis herbaceis, Spiraea Ulmaria, Sanguisorba (Puccinia Sanguisorbae Dec.) *etc.* (v. v.)

* *A. Phragm. obtusatum*, ultimo articulo fertili obtuso, pedicellis aequalibus. *Fr. l. c.* et *Link l. c.*

siccitate virescente algaceam suam indolem mox indicant), *Conferva ebenea* Dillw., quae saxicola. Anamorphosi etiam Lichenum apothecia in formationes Torulas imitantes abeunt. At, licet multae formationes, quae Torulae speciem prae se ferunt, ad alias pertineant plantas, omnes e genuinarum censu excludere non licuit. — Species quoque praecipue plantarum mortuarum rite definitae videntur; multae vero parum evolutae tam affines sunt, ut haud facile dicas utrum conjungendae sint an distinguendae, nescius, quantum a statione pendeant. Primariae, genere vulgo separatae, sunt:

* *Plantarum mortuarum.*

1. *T. alternata*, sporidiis oblongis utrinque in apiculum filiformem attenuatis atris in floccos gregarios junctis.

Alternaria tenuis. *Nees! Syst. f.* 68. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 20. *Link Spec.* 1. *p.* 128.

Floccos teneros vage expansos facile collabentes, 3—4 articulatos sistit *in caulibus herbarum.* (v. s.)

2. *T. rudis*, sporidiis subglobosis utrinque angustato-attenuatis atris in floccos implexis concatenatis.

Alternaria rudis. *Ehrenb.! silv. Ber. p.* 22. *Pers. l. c.* — *Link l. c.*

Habitu omnino cum sequentibus, rigiditateque convenit, nodis vero floccorum parte filiformi discretis ad priorem accedit. *Ad truncos pineos.* (v. v.)

3. *T. fusigona*, sporidiis utrinque aequaliter attenuatis fusiformibus atris in floccos aggregatos concatenatis. — *Moug.! in litt.*

Primitus erecta, vulgo vero prostrata legitur truncos crusta atra obducens; fragillima. Praecedentes cum sequentibus jungit. Forte eadem *Torula monilioides* Corda apud Sturm. III. 8. t. 38. *Ad truncos putridos.* (v. s. a Mougeot communic.)

4. *T. antennata*, sporidiis ovalibus utrinque obtusis atris in floccos aggregatos concatenatis.

Dematium antennaeforme. *Hoffm. Germ.* 2. *t.* 13. *f.* 4. Puccinia subsessilis. *Sowerb. t.* 400. *f.* 11. Monilia antennata. *Pers.! Syn. p.* 691. *Alb. et Schwein. Consp. p.* 365. *Grev. Crypt. Scot. t.* 255. *Link Spec.* 1. *p.* 126. *Desmaz. exs. n.* 188. *Corda l. c. t.* 39. Torula. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 21. Conferva melaena. *Lyngb. Hydroph. Dan. t.* 57. ad specc. Auctoris. Syncollesia. *Agardh Syst. Alg. p.* 32.

Pulvinulis nigris effusis, articulis ovalibus facile secedentibus mox distincta. *Ad ligna nuda ubique, notissima species.* (v. v.)

5. *T. alta*, sporidiis globosis opacis atris, in floccos aggregatos rigidos concatenatis.

Hormiscium altum. *Ehrenb.! Ber. p.* 22. Torula. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 22. Monilia. *Link Spec.* 1. *p.* 126.

Rigiditate et statura cum prioribus convenit; articulorum forma cum sequentibus. *Ad cortices arborum.* (v. s.)

6. *T. expansa*, sporidiis globosis pellucidis atris, in floccos aggregatos teneros concatenatis.

Hormiscium expansum. *Kunz. Myc. Heft* 1. *p.* 12. *t.* 1. *f.* 7. Torula. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 126. Monilia. *Link Spec.* 1. *p.* 126.

Caespites late expansi. Flocci prioris duplo tenuiores et breviores; sporidia triplo fere minora, secund. Ehrenb. *Ad caules plantarum putrescentes; rarior.*

Ex hac grege plures exstant vix acute definiendae. *Torula sparsa* Link Spec. 1. p. 127. sub Monilia, *Monilia articulata* Nees Syst. f. 67. B. floccis sparsis fasciculatisque differt, ceterum Cladosporio fasciculari affinis.

7. *T. herbarum*, sporidiis globosis e viridi atris in floccos aggregatos *contiguis.*

Torula monilis. *Pers.! Obs. Myc.* 1. *p.* 25. T. herbarum. *Link Obs.* 1. *p.* 19. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 21. *Corda l. c. t.* 48. Monilia herbarum. *Pers. Syn. p.* 103.

Caespites expansi. In statu primario et vegeto luculenter vidimus floccos erectos esse et simplices, colore tum virescente-aeruginoso; sensim nigre-

scunt, decumbunt et ramosi apparent. In illo statu flocci pellucidi, in hoc opaci; in illo formant maculas tenues determinatas, in hoc crustam crassiusculam atram. Sporidia facile quidem adulta secedunt, sed articuli magis quam in prioribus contigui, quo praecipue dignoscitur. *Ad caules plantarum putrescentes vulgatissima, etiam ad asseres, junior Sept. Oct.* (v. v.)

Cum lubentius eandem speciem sequar per varios evolutionis status, quam multas ambiguas distinguam, huic singularem dicavi attentionem multasque notas, quibus species distingui solent, fallaces inveni. Hujus sectionis descriptae porro exstant *Tor. tenera* Nees Syst. f. 69., *T. Celtis* Bern. Biv. Sic. III. t. 3. f. 6., *T. Stilbospora* Corda l. c. t. 46., sed nec eas nec plures novas certis notis limitare licuit.

8. *T. Graminis*, sporidiis globosis contiguis e fusco atris, in tuberculum minutum determinatum erumpens constipatis.

Torula Graminis. *Desmaz. exs. n.* 169. Monilia Hammeus. *Link Spec. 1. p.* 127. vix differt.

Habitus prorsus Arthrinii, a praecedentium diversus, sed flocci s. sporidiorum catenae fere *Torulae herbarum*, certe erecti, simplices. Tubercula ne sub lente quidem acuta floccosa apparent, subrotunda aut saepe inter nervos foliorum linearielongata. *Ad folia sicca graminea, vere.* (v. v.)

** *Plantarum vivarum.*

9. *T. culmicola*, sporidiis globosis subpellucidis fuscis, in floccos aggregato-effusos concatenatis. *Corda l. c. t.* 43.

In culmis languescentibus Typhae latifoliae. (v. ic.)

10. *T. Fumago*, sporidiis globosis subpellucidis fusco nigricantibus, in floccos caespitosos concatenatis.

Fumago vagans et facile F. Mali. *Pers. Myc. Eur.* 1. *p.* 9. ex parte. F. foliorum. *Pers. in Moug. et Nestl. n.* 690. illud in fol. querc. Torula Fumago. *Chev. Par. p.* 34. *t.* 3. *f.* 4. Syncollesia foliorum. *Ag. Syst. Alg. p.* 32.

Flocci normaliter erecti, simplices, pellucidi, tenaces, haud facile collabentes in statu vegeto, dein decumbentes et ramosi apparent. Omnino collapsa, sporidiis materiam grumosam fundentibus, sistit *Fumaginem*, sed a similibus statibus aliarum specierum tum haud rite discernenda. Latiori sensu sumenda videtur et vix distinguenda *Tor. Rhododendri* Kunz. — Cord. l. c. t. 44. *In foliis variis, autumno.* (v. v.)

11. *T. graminicola*, sporidiis subpellucidis globosis olivaceis in floccos caespites effusos sistentes concatenatis. *Corda l. c. t.* 42.

Habeo individua juniora T. herbarum, praeter locum huic respondentia. *Culmos vivos ambit.* (v. ic.)

12. *T. Uredinis*, sporidiis globosis irregularibus pellucidis flavidis in floccos determinate caespitulosos concatenatis. *Link Spec.* 1. *p.* 123. sub Oidio.

Est quasi sporidia Uredinis concatenata, obvium supra *Uredinem Ruborum.* (v. v.)

His speciebus satis superque — valde vero notabilis restat *Torula Tuberculariae* Nees N. Act. Ac. Nat. Cur. IX. *p.* 247. t. 6. f. 16. Corda l. c. cum icon., quae constat e sporidiis connatis vulgo quatuor (2—5) matrici non tantum incumbentibus, sed innatis potius. Hinc Cel. *Kunze* genere separavit: *Tetracolium Tuberculariae* Link Spec. 2. p. 125. Lineolas subtiles atras sistit *in Tubercularia vulgari.* (v. s.) An sequentis generis?

XXI. SPILOCAEA. Fries.

Novit. 1819. *Syst. Orb. Veg.* 1. *p.* 198.

CHAR. Sporidia globosa, simplicia, sibi invicem et matrici arcte adnata (haud conglutinata),

maculas matricis epidermide secedente nudas sistentia. *In plantis vivis.*

Obs. Ad sequentem ordinem omnino transit; ab *Ustilagine*, analogo ejus genere, mox differt sporidiis arcte adnatis, unde haud pulverulentum; a *Melanconio*, analogo Stilbosporeorum genere, sporidiis in nucleum haud conglutinatis et crescendi modo. Duo typi insignes *):

1. *S. epiphylla*, maculis epidermide bullata circumscissa secedente minutis sparsis nigris.

Epidermidis valde relaxatae bullae $\frac{1}{2}$ unc. circiter latae, haud rumpuntur, sed in ambitu integrae in squamam aeque latam integram solvuntur. Tum sub hac conspicitur macula interrupta s. plures maculae sparsae nigrae, folio arctae adnatae, nec pulverulentae, quae non sine difficultate a matrice separatae characteres datos monstrant. Plures tales formationes in foliis *Pyri*, *Mali etc. misit Levieux*, *omnes e Gallia occid.* (v. s.)

2. *S. Pomi*, epidermide tenerrima mox frustulatim evanescente, maculis effusis contiguis.

Sp. Pomi. Fr. l. c. Scler. exs. n. 260. *Link Spec. 2. p.* 86.

Valde memorabilis, maculas sistens $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ unc. latas, saepe confluentes, e sporidiis dense adnatis. In pomis vivis oritur, sed in putrescentibus persistit. *Nullum pomum silvestre ab hac immune vidimus; passim in hortensibus.* (v. v.)

ORDO IV.

HYPODERMII. (Entophyti.)

CHAR. Vegetatio propria nulla. Sporidia ex anamorphosi telae cellulosae *plantarum vivarum* or-

*) *Spilocaea Scirpi* Link Spec. 2. p. 86. Corda l. c. cum icone — frequenter maculas sistens in Scirpo, vix hujus loci est.

ta; sub earum epidermide enata et per hanc erumpentia.

Obs. Ex altera parte sunt exanthemata plantarum; ex altera simul vegetationem propriam offerunt. Sunt itaque *fungi inferioris ordinis*, a matrice pendentes, absque omni propagatione per sporidia; sed e fungorum censu prorsus eos excludere non licet. Transitus ad praecedentes plurimi et evidentissimi. — Ubi nulla propagatio per sporidia, ibi etiam nullae species sensu vulgari! — Singulus typus est genus, pro singula planta novam enitens speciem — hinc non plures species sub eisdem rationibus in eadem planta.

XXII. GYMNOSPORANGIUM. Dec.

Tremellae spec. *Linn. et Vet. Auct.* Gymnosporangium. *Dec. Fr.* 2. *p.* 216. (incluso sequ. maxime affini genere) — *Link* — *Nees Syst. p.* 37. *Fries Syst. Orb. Veg.* 1. *p.* 190.

CHAR. Sporidia pellucida uniseptata, pedicellata, stromati adnata gelatinaque in sporangium nudum expanso-difforme undulatum conglutinata.

Obs. Novam seriem inchoant duo maxime insignia genera *Gymnosporangium et Podisoma*, *in ramis vivis generis Juniperi* hactenus tantum obvia, maxime inter se affinia, habitu tamen et historia satis distincta. Earum differentia ab omnibus reliquis fungis, ad quos ut status imperfectiores referri nequeunt, indubitata est, sed ad exanthemata, v. c. Puccinias, serie contigua abeunt. Sine dubio haec omnia genera, inter Gymnosporangium et Pucciniam intermedia, eodem jure ac *Sphaeriae tremellinae* etc. cum innatis genere conjunctae, unum modo sisterent genus! Sed hoc loco genera, qualia recepta sunt, servamus, mirantes modo quod Mycologi recentiores tam proni sint ad Fungos quisquiliares in genera et species distinguendos, dum diffe-

rentiae perfectiorum longe magis essentiales praetervidentur. Ut *Uredo Pini* in ramis obvia ad Uredines, ita fere ad Puccinias sese habet Gymnosporangium.

1. *G. juniperinum*, aurantiacum.

Tremella juniperina *Linn et Auct. pl.* Gymnosporangium. *Nees Syst. f.* 23. ad specimen parvum facta, sed bona. (Gymnosp. conicum *Dec. l. c.*, G. Juniperi *Link Spec.* 2. *p.* 127. G. aurantiacum *Chev. par.* p. 424. eadem videntur, at ex omni parte non conveniunt.)

Multiplex circa hanc speciem dominatur confusio; hanc, nec (ut ipse Wahlenberg praecipit) *Podisoma Juniperi communis*, veram esse *Tremellam juniperinam* L., e definitione Fl. Suec. Linn. „*sessilis*, *membranacea*, *auriformis*, *fulva*," luculenter patet. Characteres satis cogniti, sed historia ignota. Primo ad confusiones futuras tollendas observandum plerasque harum affinium specierum numquam simul in eadem regione obviam venire; in eisdem plagis equidem saltim numquam vidi *G. juniperinum* et *Podisoma Juniperi communis*; illud in plerisque regionibus deficit, in quibus vero obviam venit, maxime abundat. — In statu primario exanthema est corticis interioris per exteriorem erumpens; tum siccum, pallidum. facie Pucciniae aut potius Thelephorae comedentis, sed structuram Pucciniae jam monstrans. Dein pluviis et succo matris adfluente mire turgescit, liberatur, Tremellam expansam gyroso-plicatam aut Exidiam costatam refert et diu persistit. Jove vero sicco contrahitur. fuscescit, oculosque fugit: post intensiores vero pluvias valde intumescit maximeque spectabile fit. gelatinam sistens tremulam, auream, adeo distentam. ut pondere suo. ramis concussis, facile dissiliat. Summam saepe mihi movit admirationem locis. quibus ante paucas horas nihil videram, copiosissimae et maxime luxurianti huic stirpi occurrere. Hac ratione *Nostoc communi* prorsus analoga est parique jure *Coeli flos* nuncupatur. Forma numquam clavularis

vel ramulosa. *In ramis vivis Juniperi communis rarius; ubi vero adest, vulgo copiosissimum; vere.* (v. v.)

2. *G. Sabinum*, vinoso - violaceum.

Tremella *persistens*, subcoriaceo - cartilaginea, tenuis, glabra, undulata, vinoso - violacea. *Bull. Champ. p.* 223. *t.* 304. *Dec. Fr.* 2. *p.* 91.

In statu exsiccato descriptum apparet; ceterum historia, in vivo plenius observanda, priori convenire videtur. — Ad ramos *Juniperi Sabinae in Europa australi.* (v. ic. — et spec. sicc. quod huc referam.)

XXIII. PODISOMA. Link.

Puccinia *Micheli!* — spec. *Pers.* Gymnosporangium *Dec.* — Podisoma. *Link diss.* 1. *p.* 7. *Nees Syst. p.* 18.

CHAR. Sporidia pellucida, uniseptata, pedicellata, pedicellis in stipitem junctis; gelatina in sporangium nudum verticale clavariaeforme conglutinata. *Stroma varium aut nullum proprium, nisi e stipitibus formatum.*

Obs. Plurima cum antecedente genere communia; sporangii forma praecipuam offert differentiam. Cum vero utriusque formae in eisdem plantis obviam veniant distinctae, separandum putavi. — Huic generi antiquitatis jure debetur Pucciniae nomen — etiam Gymnosporangii ad hoc potius pertinet — sed male scientiae consulunt qui ejusmodi rationibus nomina generica mutant. — Quae de Entophytorum speciebus in genere observavi, Podisomatis etiam spectant; at hae tam insignes sunt et paucae, ut seorsim eas notem.

1. *P. Juniperi Virginianae*, pallescens, sursum aureum, clavatum, simplex, stromate elongato duplici.

Gymnosp. Juniperi Virginianae. *Schwein.! Car. p.* 48. *n.* 504. Gymnosp. macropus. *Link Spec.* 2. *p.* 127.

E pseudoperidio (Aecidiiformi) cupulari, aperto, regulari ex epidermide vero arboris luculenter formato, singula erumpit clavula, sed plures adeo dense aggregatae, ut caespitosae appareant. Clavulae $\frac{1}{4}$ unc. et ultra longae, $\frac{1}{2}$ lin. crassae, cylindricae, simplicissimae, regulares, subcurvatae, superficie inaequabili, sub lente simplici sursum pruinosae. Color pallescens, deorsum semper, fructificantis vero sursum aureus. Stroma inferne e matricis fibris, superne e stipitibus cum gelatina conglutinante formatum videtur. Sporidia fusiformia, pellucida, medio saepe ad septum coarctata. *Ad ramos Juniperi Virginianae, in America boreali.* (v. s.)

2. *P. Juniperi communis*, aurantium, clavariaeforme, subramosum, stromate simplici.

Tremella clavariaeformis. *Jacqu. Coll.* 2. *p.* 174. *Pers. Syn. p.* 629. *Gymnospor. Dec. Fr.* 2. *p.* 217. Tremella digitata. *Vill. Delph.* 2. *p.* 1007. Tr. ligularis. *Bull. Champ. t.* 427. *f.* 1. Tremella juniperina *Wahl. Suec. p.* 994. Podis. ligulatum. *Chev. Par. p.* 423.

Bene descripsit *Decandolle* l. c. — Habitu Calocerae, vage divisum aut apice ramuloso-fimbriatum. Color hujus, ut praecedentis, in siccis persistit. Articuli sporidiorum duos conos basibus applicatos referunt. *Ad ramos Juniperi communis, in aliis vero regionibus quam Gymnosp. juniperinum.* (v. v.)

3. *P. Juniperi Sabinae*, rufo-fuscum, tuberculosum clavatumque, simplex, stromate oblitterato.

Puccinia *Mich. gen. p.* 213. *t.* 92. *f.* 1. Puccinia cristata *Schmid. ic. et anal. pl.* 3. *p.* 254. *t.* 66. P. Juniperi. *Pers. disp. meth. t.* 2. *f.* 1, *a—c. Syn. p.* 228. Tremella Sabinae. *Dicks. Crypt. Brit.* 1. *p.* 14. Gymnosporangium fuscum. *Dec. Fr.* 2. *p.* 217. Podisoma Juniperi. *Link l. c. Nees Syst. f.* 15.

Cfr. Decand. l. c. Articuli sporidiorum magis rotundati et obtusi quam priorum. In statu juniori ad genera sequentia satis accedit. *Ad ramos vivos Juniperi Sabinae.* (v. s.)

XXIV. PUCCINIA. Pers. emend.

Pers. Syn. — inclusis *Podisomate* valde affini — et *Phragmidio* remoto. — *Link.* — Caeoma, Dicaeoma *Nees Syst.*

CHAR. Sporidia uni-rarius biseptata, appendiculo filiformi pedicellata et matrici adnata, in tuberculum concrescentia.

Obs. 1. Perfectiores Pucciniae evolutiones sunt genera antecedentia, facile conjungenda, nam stromatis spurii rudimentum etiam in Pucciniis vidi. Pucciniae in plantis vivis enascuntur, sed in emortuis etiam persistunt et perfectius explicantur. Hoc pendet ab earum pedicello, quo matrici adnatae vitam quodammodo autonomam continuant, cum *Aecidia*, *Uredines* a matrice liberatae eo ipso evolutionis momento absolutae sunt. Hinc etiam systematico sensu *Uredines in Puccinias numquam abire possunt*, licet earum typica cognatio clara sit. Potius Uredo est Puccinia evolutione praecipitata! Nam vere et aestate vi vitali praevalida Uredines, eadem versus autumnum tabescente Puccinias plantae enituntur, sed prima origine hae jam Pucciniae sunt. Color subfuscus. Exstant tamen inter adeo vasta genera variae formationes mediae; equidem characteres Pucciniae essentiales in pedicellis adnatis, sporidiis concrescentibus quasi, haud effusis pono. Hoc modo et physiologicis rationibus et primo intuitu jam nudis oculis distinguuntur — et meo sensu haud ideo negligamus differentias, quod nudis oculis conspici possunt. Hinc et inter Aecidia et inter Uredines admitto species biloculatos, his ceterum prorsus similes, v. c. *Aecid. Podophylli* (exstat enim vero Puccinia sporidiis hispidis! in eadem planta), *Ured. Anemones.* Si lubet, hoc genus intermedium, *Dicaeoma*, sistant.

Obs. 2. Species vel unica vel, potentia saltim, tot quot plantarum. Eas omnes sigillatim describere superfluum duco; studium eas ad species reducendi

arbitrarium semper fore mihi videtur. Singulam speciem ex matre denomino. Seorsim notare possumus:

a. *Foliorum perennium*, eximie evolutas, elevatas, stromate spurio a pedicellis conjunctis offerentes, quae ad praecedentia genera accedunt v. c. *Pucc. Buxi* et spec. trop.

b. *Caulium plantarum*, quae v. c. *Puccinia bullata* in exsiccatis persistentes etiam spectabiles evadunt. In *Scirpo* vero parum evoluta.

c. Reliquam turbam *foliorum annuorum* infinita formationum grege. Harum duo singulares notandae aberrationes:

* *Triphragmium* Lk. septo superiori biloculari, ceterum haud diversum. In perfectioribus fungis, v. c. *Macrosporio*, hunc characterem accidentalem inveni — et tum demum genere distinguerem a Pucciniis, quum invenissem analogam formationum seriem in eisdem plantis. H. l. P. *Ulmariae*, *Isopyri*.

** *Septo superiori deficiente*, quae prorsus obviam veniunt Uredinibus appendiculatis, ceterum sporidiis liberis et effusis diversis.

XXV. EPITEA. Fries.

CHAR. Pseudoperidia ab epidermide matris rupta formata, intus foventia stroma, a quo sporidia secedunt libera, globosa.

Obs. 1. Singularis formatio, habitu et charactere a proximis bene distincta — et genere distinguenda, cum eaedem plantae (Rosaceae) diversas quoque tam Aecidii quam Uredinis species sub eisdem rationibus enitantur. — Sporidia pallida. In *Epitea Rubi* (Caeom. columellato Schum.) columella admodum evidens cylindrica truncata.

Obs. 2. Non confundendum est hujus stroma cum spurio Aecidiorum quorundam. Ad Aecidium et Uredinem hoc genus accedit ut Podisoma ad Pucciniam. — Gen. *Clypeolaria* Trattin., quodammodo simile, est entomogeneum.

XXVI. AECIDIUM. Pers.

Aecidium. *Pers. et omnium fere Auct.* Aecidii spec. *Pers. in Gmel. Syst.* — *Whlb. Suec.* Caeomatis species. *Link diss.* 1. *Nees Syst.* — Hypodermii spec. *Link diss.* 2.

CHAR. Pseudo-peridia ab epidermide plantarum formata, in formam tubulosam vel calycinam extensa, apice regulariter dehiscentia, intus foventia sporidia distincta libera.

Obs. 1. Aecidium sensu primario quoque complectitur Uredines, ut nulla adsit ratio illius nominis rejiciendi, etiam si haec genera conjungimus. At non *usus* tantum, et immensa utriusque typi formationum copia distinctionem suadent, sed exstat etiam physiologica differentia, in singula fere planta aliud Aecidium, aliam Uredinem, sub eisdem rationibus diversissimas, determinans. — Sed *Roestelias* (tubulosas) non separo, cum hae tantum in Pomaceis obviam veniant, in quibus alia Aecidia haud observantur, unde certus concludo Aecidiorum typum in Pomacearum tribu hanc induere speciem.

Obs. 2. Consideratis, quae in fronte hujus ordinis attulimus, specierum determinationem, nisi singulae plantae suum Aecidium adscribamus, omnino arbitrariam censemus. Ut vero antecedentes typi, excepta Puccinia, tantum in Plantis Dicotyledoneis obviam veniunt, Aecidia eisdem praecipue adscripta sunt, occurrunt tamen etiam in Monocotyledoneis latifoliis ut *Liliaceis* et *Aroideis*. — At in Gramineis, Cyperaceis etc. numquam lecta sunt; et

hinc sporidia semper fere globosa, raro oblonga, ut ad species discernendas nil offerant praeter colorem *); pseudoperidia omnino a matrice pendet. — At *Aecidium* in singula planta describere immensus esset labor, et omne eorum studium, haud mere physiologicum mihi saltim irritum visum est.

Obs. 3. Aecidiorum formationem analogam cum matricis affinitate intime connexam esse, *Aecidia* Pomacearum, Ranunculacearum, Leguminosarum e. s. p. satis demonstrant. At in plantis in Systemate naturali longissime remotis etiam occurrunt formationes characteribus haud separandae; in vicinis autem admodum recedentes; *Aecidium Anemones* P. (Aec. leucospermum Dec.) v. c. a *Ranunculacearum* valde recedit. Duo vero Aecidia vere diversa in eadem plantae specie numquam vidi, licet v. c. *Aecid. Urticae dioicae* in caule et in foliis nascens magis diversum apparent quam plurimae sic dictae species. — In arboribus et fruticosis Aecidia magis explicata, quam in herbis.

Obs. 4. Ill. *Link* vastam Aecidiorum gregem (Spec. Pl. II. p. 63.) ad superiores species redegit vel, si mavis, sectiones naturales, quas hoc loco inserere utile videtur, ad differentias primarias inter Aecidia indicandas. At et inter has exsistere intermedias formationes et ab eis plures diversas, omnino fatendum est. Sunt vero primariae:

a. Pseudoperidia tuberculo a matrice formato immersa, tubulosa, demum vario modo in lacinias tenuissimas fissa. — Incolunt exclusive Pomaceas. In *Sorbo* tubuli cornuti, subintegri (*Lycoperdon corniferum* Fl. Dan. t. 838.); in *Pyro Malo, Crataegis, Mespilis* etc. tubuli breviores, apice penicillati (*Lycoperdon penicillat.* Fl. Dan. t. 839.);

*) Maxime aberrat *Aecidium Podophylli* Schwein. sporidiis bilocularibus; ob sporidia vero libera et effusa Pucciniam haud dixerim.

in *Pyro communi* tubuli toti in filamenta fissi, apice vero cohaerentes. (Lycoperd. cancellatum *Linn.* — *Jacq. Austr. t.* 17. *Fl. Dan. t.* 704.) Prima harum typus generis *Centridii* Cheval., tertia *Ciglidis* Chev., *Roesteliae* Rebent. (Sporidia omnium subaurantiaca.)

b. Pseudoperidia congesta, conica, demum in lacinias latas fissa, v. c. *Aecid. Fraxini* Schwein.

c. Pseudoperidia elevata, cylindrica, integra, demum tota emersa dilabentia v. c. *Aecid. Berberidis*, (Lycoperd. poculiforme *Jacq. Collect.* 1. t. 4. f. 1.), *Rhamni*, *Thalictri alpini* etc. Haec vero valde dubito an non potius alii tantum status sequentium, sub d. comprehensorum; nam talia etiam in *Berberide* vidi, et transitum satis evidentem. His sporidia aurantiaca, sed in *Hyperici frondosi* Americae alba sunt.

d. Pseudoperidia cyathiformia in acervulos congesta. Vulgatissima, vagantia. Sporidia aurantiaca v. c. *Ranunculacearum* plurimarum — e flavicante fuscescentia v. c. *Lychnidearum*. Etiam Leguminosarum, sed in his pseudo-peridia quoque sparsa.

e. Pseudo-peridia discreta, sparsa, cyathiformia — sporidiis aurantiacis v. c. *Euphorbiarum*, vel albidis flavicantibusve, dein fuscescentibus v. c. *Umbellatarum*. Haec et prior modificatio plurimas formas colligunt.

f. Pseudo-peridia sparsa seriata, sporidiis aurantiacis in Coniferis v. c. pseudo-peridia cylindrico-elongata (Aecidium columnare *Alb. et Schwein.* t. V. f. 4.) in Pino Picea — sed depressa oblonga, maculae conjuncta in *Aecidio abietino* s. Pini Abietis. (Alb. et Schwein. t. V. f. 5.)

Haec nostro scopo sufficient *). Qui plura optaverint adeant *Link Spec.* 1., *Schlechtend. Linn.*,

*) CRONARTIUM Fries Obs. Myc. 1. Kunz. Myc. Heft 2. p. 98. memorabilem transitum offert ad Phylleriaceas. *Pseu-*

Schwein. Syn. Car. Dec. Fl. Fr. etc. — Ceterum haud minorem numerum s. d. specierum ineditarum servo. Observandum tamen non paucas ad Aecidia relatas, tam ad Uredines, quam ad alia genera potius pertinere.

XXVII. UREDO. Pers.

Uredo. *Pers. disp. et Auct. plur.* Reliqua syn. sub Aecidio.

CHAR. Pseudo-peridium nullum aut irregulariter dehiscens; sporidia enim, primo cohaerentia, vulgo tenerrima epidermidis pellicula distenta tantum tecta eaque rupta libera, effusa, sporidiolis farcta.

Obs. 1. Rationes, ob quas Uredines ab Aecidiis distinguimus, supra jam indicavimus. Pucciniae differunt sporidiis pedicello adnatis, haud effusis, vulgo septatis; at priorem differentiam magis essentialem censeo, ut species sporidiis haud pedicellatis, sed liberis et effusis, ceterum bilocularibus, v. c. *Pucciniam Anemones P.* ad Urdines potius referrem; Pucciniasque uniloculares Decand. pedicello elongato et adnato v. c. *Caeoma macropus* Lk. sub hoc genere servarem. Haec saltim limitatio cum vegetationis historia et externa facie magis convenit. Uredines enim biloculares pulveraceae, praecoces, herba emortua haud perfectius explicatae etc. Cfr. ceterum *Pucciniam*. Acuti autem omnino limites intra genera horum semivegetabilium, species sensu genuino haud offerentium, poni nequeunt.

---

do-peridia elevata, prorsus libera, cylindrica, flocciformia, discreta (omnino Phyllerii), at sporidia continent Aecidii. Cum unica talis formatio in foliis *Cynanchi Vincetoxici* lecta sit, — hic evolutionis status ut Triphragmium parum notabilis est. At genere distinguendum, si verum Aecidium in eadem planta repertum fuerit.

Obs. 2. Uredines non tantum omnes Monocotyledoneas et praecipue Gramineas, in quibus plurima praecedentia genera haud obviam veniunt, et Dicotyledoneas infestant, sed etiam Filices et quodammodo, monente quoque Linkio, etiam Variolariae Lichenum, licet anamorphosis incompletior sit, ut Lichenosam faciem servent, pro Uredinum analogia haberi possent. Inter has omnes species, si tales agnosceremus, seorsim describere et determinare, cum vix pauciores sint quam plantarum *Vascularium*, vix minoris foret laboris quam has omnes determinare, ut ne hominis vita quidem ad eas discernendas sufficeret, et plurimae demum tantum loco natali differrent. Hoc perspicientes acutiores earum observatores characteribus congruas sub s. d. speciebus comprehendere studuerunt, sed limites frustra quaesivi et hanc methodum etiam arbitrariam inveni.

Obs. 3. Differentiae inter Uredines plures tamen et evidentiores sunt, quam inter Aecidia. Licet pseudo-peridium in plerisque desideretur, epidermidis dehiscendi modo, acervulorum forma etc. jam multum differunt. At quantum hae differentiae pendeant e situ in caule, ramis, foliis eorumque nervis, fructu etc. *Coniferarum*, *Rosae* plurimarumque Uredines satis testantur. Praecipuas differentias offerrent color sporidiorum et forma. Ad *Aecidia* magis accedunt omnes species sporidiis laete coloratis (aurantiacis, fulvis, pallescentibus, albis), ad *Puccinias* colore fuscescente *). Quoad formam e globosa in ovatam, oblongam et cylindricam abeunt, saepe varias mixtas in eodem acervo. Sed sporidiorum forma et color ad species limitandas raro conspirant. Sic v. c. *Uredo candida* P., colore bene limitata, in diversis plantis diversam monstrat

*) Est sine dubio difficilius Uredines a Pucciniis quam ab Aecidiis rite et naturae convenienter distinguere. Ab Uredine utrumque genus adscendit.

sporidiorum formam, cum aliae colore diversissimae sporidiorum figura omnino simillimae sunt. Nec color nec figura cum matricis affinitate connexa sunt, potius modus, quo ab epidermide teguntur et per eam erumpunt. Hac ratione a *trivialium magna cohorte* duae sectiones praecipue separandae:

a *Peridermium* Link, pseudoperidio in formam utriculi excrescente, circumscisso - sporidiis ob affinitatem cum Aecidiis semper aurantiacis — cujus formationes tantum in arboribus et fruticulis acifoliis occurrunt et id singulare habent, quod in ramis perennibus harum arborum simul sub forma adhuc magis luxuriante proveniant, v. c. *Aecidium Pini* P. tam in ramis, quam foliis *Pini silvestris*, *Uredo coruscans* Fries in Phys. Sällsk. Årsber. in turionibus *Pini Abietis*, *Aecidium elatinum* Alb. et Schwein. in Pino picea — et his insuper accedit *Uredo Empetri*, b. *Caries*, typo Uredine Carie Dec. (Uredo sitophila Dittm. apud Sturm. 3. t. 34. in germinibus *Tritici sativi*), quae semina plantarum exedit sporidiis suis inclusis. Ad sequens genus transitum sistit, sed differt tam origine, proveniendi ratione, quam sporidiis sporidiolis farctis *).

*) Ob easdem rationes ac plura antecedentium ordinum genera separata sunt, etiam Uredines subdividendae essent. Praeter supra allatas diversitates v. c. *Dicaeomatis* et *Caeomuri* praecipue memorabiles sunt.

a. *Cylindrosporium* Grev.! Crypt. t. 27., sporidiis cylindricis truncatis recedens, in foliis Brassicae obvium, — colore ceterum cum *U. candida* conveniens, quod etiam sporidiis obtusatis variat. Sporidia multarum Uredinum primitus conglutinata. Sit *Uredo cylindrospora*.

b. Sporidiis cylindricis, fusiformibus et pyriformibus, nam licet his vulgo immixta sint etiam sporidia rotunda, hoc simul observatur in omnibus generibus sporidiis fusiformibus distinctis. *Obs. Uredo populina* Pers. sporidiis cylindricis obtusis priori affinis.

c. Sporidiis sub epidermide haud rupta conglutinatis v. c. *U. punctata* Dec. Habeo eandem vere *l.* similem in *Blennoriam*

Species si exstant, plenius exposuerunt sub cidio laudati Auctores, nec non *Strauss* in Act. etterav. 2, sed licet vix alii fungi recentiori aevo igentius collecti videantur, longe major pars inicripta restat.

XXVIII. USTILAGO. (Link) Fries.

Synonyma ut supra.

CHAR. Pseudo-peridium nullum. Sporidia ssima, coacervata, libera, foede inquinantia (nicantia), simplicissima, sporidiolis destituta.

Obs. 1. Ustilagines, cum *Spilocaea Melanco-* etc. praecedentium serierum analogae, omni rectu, etiam habitu et proveniendi modo, tantum Uredinibus differunt, ut visis variis huc refendis nondum descriptis formationibus ab Urediibus earundem plantarum diversissimis et maxime ignibus non potuerim non genere separare. Spolia quidem omnium minima, globosa, nigricantia, characteres vix offerant — ratione vero originis versissimae videntur species. Tres quattuorve inentissimas, pro reliquarum typis facile sumens, seorsim describemus:

---

demum abeuntem! Etiam habeo *Pucciniam*? maxime mirabilem in foliis subemortuis Brassicae, sporidiis multiseptatis, stipitatis, conglutinatis, epidermide semper tectis — a Cel. *Montagne* missam, quae sine dubio distinguenda, nisi hanc ut reliqua nova alii tempori reservare mallem — *nam in scientiae evolutione nil festinat; plurima vero praecipitata et immatura in medium prolata maxime nocent.* Nescio quid magis frustranei et temerarii, quam studium genera nova ex singula obvia planta, modo characteribus ab aliis distingui posse videatur, sine plena omnium affinium cognitione condendi. Quis non posset e singulis Sphaeriis innumera genera condere, at cui bono si species prorsus consimili structura sub antiquo genere reliquerit omniumque nexum non perspexerit?

1. *U. grandis*, culmos sub epidermide turgida tegente infestans.

